

05

A

2471





I

B





PRÆCOGNITORUM THEO-  
LOGICORUM

DISPUTATIO VII.

VII

7

DE PRÆCIPUIS  
TERMINIS THEO-  
LOGICIS,

Quam

*Annuate Altissimo*

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

*Ad usum placidam*

*In Minori Auditorio habendam*

Proponit

M. BALTHASAR BALDUINUS  
Dresdensis Misnicus.

*Ad Diem 1. Junij, Horis pomeridianis.*

---

*Witteberga, Typis Johannis Gormanni,*  
*Anno M. DC. XXV.*









ANNUENTE ALTISSIMO.

DISPUTATIO VII.

De

PRÆCIPUIS TERMINIS

THEOLOGICIS.

THEOREMA I.

**T**ermini Theologici sunt vel Generales, ut; Theologia, Religio, Christianus, Heresis.

Ἐξήγησις.

Theologia quoad Etymon vox origine Græca est, descendens à verbo θεολογεῖν, hoc est, de Deo divinisve loqui. Hinc illud ἡ θεολογία ἐστὶν ἡ διὰ τοῦ θεοῦ βίβλος. Involvit igitur hæc vox duo nomina θεὸν καὶ λόγον, adeoq; in genere idem est, quod sermo & doctrina de Deo. ὁμων. Denotat πρώτως rerum divinarum in S. S. Scriptura propositarum & à Doctores Ecclesiæ paulò fusius explicatarum sufficientem atq; habitualement cognitionem, per quam vera Religio perspicuè doceri, solideq; propugnari, hæresis autem quævis, plenissimè refutari potest. Δευτέρως autem denotat ipsam disciplinam seu Systema Theologicum, in quo cuncta Theologo necessaria quoad credenda & agenda explicantur & explanantur. Συνων: Dicitur alias θεοδιδασκαλία, θεοσεβεία, Doctrina Christi Rom. 16, 17. Ioh. 7, 16. Item Agnitio veritatis secundum pietatem, Tit. 1, 1. Quam ob causam à nonnullis vocatur θεοσοφία &c. Alst. in lex. theol. p. 3. & 4.

Religionis verum Etymon nondum habetur certò cognitum, Cicero 3. de Natur. Deor. vocabulum hoc derivat à relegendo eò quod Religiosi omnia, quæ ad cultum divinum pertinerent, diligenter retractarent & relegerent. Vel dicitur à religando, quod cultores Numini obliget sive religet. Est enim Religio Spirituale vinculum, quo homines cum Deo uniuntur, ac proinde cum





eo communionem habent. Quæ Derivatio est *Lactanti*, cui subscribit *Isidorus lib. 18. Etymolog.* Et Videtur esse omnium optima. *ὄμων*: Notat verò principaliter communi sensu, vel verum de Deo sensum, & rectum in Deum cultum, secund. *August. lib. 10. de Civit. Dei*; vel officium sacrum, quod jure vinculi, quo sumus Deo religati, solvere & exhibere, convenit. *Συνων*: Alio nomine vocatur Græcis *θεσησκεία*, cultus vel observantia, *Iacob. 1, 26. Ευσέβεια* vel Pietas, *1. Tim. 4, 7. & 8. Αλήθεια* Veritas, seu vera Religio, *Iob. 17, 17.*

*Christianus* dictus à Christo, Etymon notissimum, qui sequitur & imitatur Christum vera fide & charitate. Notandum tamen *ὡς ἐν παρόδῳ* Christianos potius à Christo dici quam à Jesu. Rationem dat *Iohan. Tyz in Lex. Theol. sub lit. C. pag. 137.* Quia Jesus est nomen Divinitatem Christi respiciens. Dicitur nimirum Jesus, id est, Salvator: Salvare autem Dei proprium est. Sed nomen Christus, id est, unctus, convenit Christo ratione Humanitatis, in quo communicat nobiscum. Unde Christiani sunt uncti tanquam pugiles contra mundum carnem & Diabolum, pro Christo Rege. Exortum verò est hoc nomen primùm Antiochiæ, teste Evangelista Luca, *Actor. 11, 26.* *ὄμων*: Interdum tamen sumitur hoc vocabulum pro Christiano, nomine tantum, ut quando quis nomine Christianus in S. Baptismate insignitur. Hinc Christiani non debent saltem nomen Christi, sed etiam omen habere. Rectè igitur *Hieronymus: Frustra Christianum nomen habet, qui operibus Diabolum sequitur.* *Συνων*: Hinc dicitur Unctus, Israel, Cultor Christi &c.

*Hæresis* Græca dictio est, ab *αἰρέουμαι* eligo, quoniam quisvis eligit disciplinam quam putat esse meliorem, secundum *Hieronymum in Epist. ad Galat.* Hoc ipso vocabulo usus est *Tullius in Prefatione Paradoxorum.* *ὄμων*: Est autem Hæresis vox *μέσος*, & in sacro codice pro indifferenti sumitur, cum in bonam, tum in malam partem. In bonam; Nam aliquid certo animi iudicio & electione susceptum, & obstinatè defensam in eo animi nostri sententiam, significat. Sic *Actor. 26, 5. Παρὰ τὸ αἰρεῖν.* Item *cap. 24, 24.* In malam partem sumitur frequentissimè. Usus enim inter Scriptores Ecclesiasticos obtinuit ex eo Pauli loco, qui est in *Epist. ad Titum cap. 3, 10. Αἰρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέρων*



τέρας ἡρώσιον παρρησίᾳ. Συων: Aliàs vocatur Latinis, Secta, Schisma, Fanatica Opinio &c.

## THEOREMA II.

*Vel Speciales, qui vel 1. Archelogici, & agunt de principio Theologia, ut, Scriptura, Judex.*

Ἐξήγησις.

*Scripturam* à Scribendo derivari, notissimum est, quia est opus Scribentis. Intelligitur verò per *Scripturam non Formale*, id est, actus & opus scribendi, sive ipsi apices, syllabæ & dictiones, quæ tanquam signa & symbola sententiarum scribuntur; *Sed Materiale* sive Subjectum, h. e. id quod scribendo notatur, ipsa res sive sententia tanquam signata, quæ istis literis & dictionibus significantur. Ὅμων: Quadruplicem autem habet significationem. (1.) Præsertim in N. T. ipsas sacras literas significat, seu verbum ac Doctrinam Dei, literis comprehensam in eo volumine, quod κατ' ἐξοχήν Sacra Biblia, id est, sacros libros nominamus. (2.) Tribuitur aliquando aliquid sacris literis aut *Scripturæ*, quod propriè Deo convenit. Sic Rom. 9. v. 17. Dicit enim *Scriptura Pharaoni; Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam*: id est, recitat Deum dixisse illi &c. Vid. & *Epist. ad Gal. cap. 3. v. 8.* (3.) Sumitur pro Epistola aliquoties in V. T. 2. Paral. 21, 12. (4.) Aliquando impropriè notat, conscriptam Genealogiam, ut *Nehem. 7, 64.* Plura vide apud *Flacium in clav. Theol. part. 1. pag. not. seqq.* Συων: Alio nomine vocatur *Scriptura, Verbum Dei, Sacer codex, Sacra literæ, Doctrina Prophetarum & Apostolorum* 2. Petr. 1. v. 19.

*Judex* à verbo *Judico* dictus, quasi jus dicens. Ὅμων: Secundum diversos actus diversissimè sumitur, ut annotavit *Iohan. Tyz in Lex. Theol. sub lit. I. pag. 453. b. ex Gabr. d. 15 q. 6. lib. 4.* (1.) Est *Judex Ordinarius*, cui ex dignitate vel officio convenit judicare, sicut habens dignitatem vel officium, cui annexa est *Jurisdictio*, sicut *Superattendentis, Archidiaconi &c.* (2.) *Delegatus*, cui ex speciali commissione, ordinarij *Judicis* convenit incertâ causâ, vel etiam generaliter cognoscere seu judicare. (3.) *Arbitrarius*, qui nullam habens potestatem, consensu litigantium in *Judicem* eligitur. Συων: Præcipua Synonyma sunt, *Arbitrer, Æstimator, &c.*

A 33

THEO



### THEOREMA III.

2. *Theologici Specialiter sic dicti, ἢ ἰσὶν, vel ἰσὶαν exprimentes tum in genere, ut Deus, Jehova, Persona, Trinitas, Natura, Idioma, &c. tum in specie, ut, Pater, Filius, Unio, Exinanitio, Exaltatio, Spiritus Sanctus.*

Ἐξήγησις.

Dei Ter Opt. Max. notatio est incerta, & in dubium relinquitur. Alij à θεάομαι e.g. ἔχει θεὸς ἐκδικῶν ἕμμεα, cernit Deus omnia vindex. Alij à δῶ dispono, ita ut dicatur θεός quasi θεός. Alij ἀπὸ τῆς αἰθερῆς, quod significat adurere & accendere; idq; vel propter Essentiam, est enim lux ἀπρόσπτος, vel propter effecta: Ipse enim est caloris & vitæ autor. Unde & Deus ignis in Scriptura appellatur. Quam derivationem Zanchius lib. 1. de N. D. cap. 11. comprobat. Alij à θεός, id est, metus.

Hinc Statius:

*Primos in orbe Deos fecit timor.*

Itemq; Lucretius:

*Cur non animus formidine divino  
Contrahitur.*

Alij à θεῖν h. e. currere, movere: vel quod ubiq; omnibus præsto sit, præsertim laborantibus & orantibus: vel quia est merus actus; omnia ambit, omnibus vigorem & motum impertit, Act. 17, 28. Alij à θεός, quod est nomen Jovis & communiter etiam Dei apud Græcos. Alij deniq; à dando, derivant: Unde Germanis Gott dicitur quasi Guet: Ipse enim bonus, bona etiam hominibus impertit. Videantur Flac. d. l. pag. 214. Ioh. Tyz in lex. Theol. sub. lit. D. pag. 233. Becman in orig. lat. ling. p. 244. Alst. in lex. cap. 2 pag. 188. & 199. Ὀμῶν: Notârunt autem Eruditi, Nomen hoc summi nostri Monarchæ valdè esse πολύσιμον, & varias significationes in scripturâ habere. Unde iste terminus (Deus) sex modis capitur: (1.) Sumitur nuncupative & abusive, ut in Psal. 95, 5. Omnes Dij gentium Dæmonia, & 1. Cor. 8, 5. Siquidem sunt Dij multi & Domini multi. (2.) Adoptive, Psal. 81, 6. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Sic quilibet Electus dicitur hoc modo Filius Dei per adoptionem. (3.) Dignificative, pro hominibus in dignitate existentibus Exod. 32. passim & cap. 21, 6. offeret eum Dominus Dijs, h. e. Regibus & prælatis. (4.) Potestative. Hinc Dominus ad Moysen, Exod. 7, 1.

Ecce



Ecce constitui te Deum Pharaonis, h. e. potestatem dedi contra  
 ariolos & Deos Pharaonis. (5.) Sollicitudinaliter, ut Apostolus  
 Phil. 3. Quorum Deus venter; tales enim tantam de ventre ha-  
 bent sollicitudinem, ut Dei obliviscantur. (6.) Accipitur Essen-  
 tialiter & ἰσῳδῶς, ut sic: Deus est Pater & Filius & Spiritus San-  
 ctus. (7.) Personaliter & ὑποστατικῶς. Habet enim hic terminus  
 diversam suppositionem in Scripturâ. Aliquando enim suppo-  
 nit pro persona Patris, aliquando pro persona Filij, ut videre est,  
 Psal. 2. ΣΥΝΩΝ: Cæterum pro varijs objectis varia etiam sortitur  
 nomina: Exprimitur enim hic terminus noster propositus per  
 vocabula Hebraica Græca & Germanicum. Hebraica nomina  
 quod attinet, Hieronymus in Epist. ad Marcell. Tom. 3 pag. 95. decem  
 collegit nomina, De quibus singulis secundum nostram metho-  
 dum esset agendum. Verum ne extra oleas vagemur, placet tan-  
 tum autores adscribere, qui possunt legi & aliquantò melius ru-  
 minari. (1.) Ergo Nomen est יהוה de quo videantur Dn. D. Gerh.  
 Tom. 1. p. 224. Pol. l. 2. c. 6. col. 894. Mart. l. 1. de Deo c. 2. p. 16. Vorstius in  
 notis p. 164. (2.) יהוה אלף Alst. d. l. p. 98. Vorst. disp. 2. th. 20. p. 15. (3.) יהוה  
 de quo videantur iidem Autores loc. cit. (4.) יהוה Flac. in clay.  
 part. 1. p. 335 seqq. Pol. d. l. col. 100. Alst. d. l. p. 117. (5.) יהוה Gerh. Tom. 1.  
 p. 225. Pol. l. 2. Synt. c. 6. col. 808. (6.) יהוה Gerh. Tom. 1. p. 202. (7.) יהוה  
 Gerh. Tom. 1. p. 225. Pol. l. d. col. 897. Alst. c. 2. lex. p. 115. Vorst. disp. 2. th. 22. & in  
 notis p. 129. (8.) Nomen est abbreviatum יהו Gerh. Tom. 1. p. 224. Gvvalt.  
 contra 3 p. 48. Pol. l. 2. Synt. c. 6. col. 839. Alst. d. l. p. 70, 115. Vorst. in notis p. 165.  
 (9.) יהוה De quo nomine in specie agendū erit. (10.) & ultimū est  
 יהוה Gerh. Tom. 1. p. 225. Zanch. l. 1. de N. D. c. 15. Pol. l. 2. c. 6. col. 897. Alst. c. 2.  
 lex. p. 116. Vorst. disp. 2. th. 22. & in notis p. 169. Græca Nomina θεός,  
 θεός, κύριος. De quibus omnibus vide citatos autores. De  
 Germanico Nomine Gott / vide Martin. l. 1. de Deo c. 2. p. 16.

Iehova vocabulum τετραγράμματος jam in specie considerā-  
 dum venit. Ubi initio notandum, quoad Etymon, esse nomen  
 heemanticum & flexum, ut ostendit τὸ (,) quod est συστατικὸν τῆς  
 ὀνόματός. Descendit à Rad. יהו id est fuit Exod. 3, 14. יהוה יהוה  
 יהוה h. e. ero qui ero: Et paulo post יהוה Ero misit me ad vos.  
 lxx. interpretantur, ἐγὼ εἰμι ὁ ὢν. Hoc etiam expressit Iohannes  
 in Apocalypsi cap. 1. ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν καὶ ὁ ἐρχόμενος. Iunius in Eirenico re-  
 ctè vertit, ὁ ὢν, seltstwezig & putat Græcum nomen κύριος, a-  
 ptissimè respōdere Hebræo: Nam Græcis κύριος sive κυρίως est Sum:

Hinc



Hinc κὺ εἶν prima rei Essētia. Qua ratione & subtilis alæ vir Scaliger  
Deū admirabili voce αὐταυτὸν appellavit, Et ipse in fine Exerc. ait:

Sine principio principium absq; sine finis:

Cui præteritum non abit, haut subit futurum:

Ante omnia; post omnia, totus, unus, I P S E.

Plura qui desiderat, consulat Lex. Theol. Alst. c. 2. p. 85. seqq. & orig.

Becman. p. 383. seqq. Ὀμων: Nomen hoc sive Terminus sumitur

ἁπλοῶς & ὑποστατικῶς, ut vocabulum Deus, ideoq; hic non di-

utius moremur. Συνων: Appellatur verò à superstitiosis nomen

Jod, He, Vau, He; vel brevius nomen Jod, He, sicut יְהוָה vo-

catatur nomen Aleph Daleth. Vocitatur & τετραγράμματον. An-

notavit verò Alsted d. l. p. 93. nonnullos Græcorum legisse ΠΙΠΙ,

& addit rationem, quia magna Elementorum Græcorum cum

Hebræis est affinitas. Jod enim & Vau similitudinem habent

cum Jota: He autem cum Græco π. Sit fides penes autorem.

Persona dicta Latinis quasi per se una. Ὀμων: Interdum in

N. T. Græcum πρὸσωπον refertur ad ea, quæ à Rhetoribus vo-

cantur Personæ attributa; intellige qualitates tum animi, tum

corporis; Tum etiam res externas, dignitatem, opes, patriam,

sive gentem ut Luc. 20, 21. Quam significationem etiam retinet in

composito πρὸσωποληψία παρὰ τῶ θεῶ. Πρὸσωπα verò apud

Theologos, pro personis in articulo de S. S. Trinitate accipiuntur,

quæ & ὑποστάσεις dicuntur. Συνων: Ita ut æquipolleant Persona &

Hypostasis: quemadmodum annotavit Damascenus in Dial. c. 43.

Χρὴ δὲ γινώσκειν, ὡς οἱ ἅγιοι πατέρες ὑπόστασιν καὶ πρὸσωπον τὸ

αὐτὸ ἐκάλεσαν. Et Nazianzenus in orat. ad Athanas. vocat tres Per-

sonas S. S. Trinitatis πρὸσωπα. Hinc θεὸς τριπρὸσωπος sicut τρι-

σπόστετος vocatus fuit, ut annotat Budæus. Græca igitur hæc Per-

sonæ vocabula, ut ὑφιστάμενον, ὑπόστασις, πρὸσωπον καὶ ἄλλοι, re-

ctè pro Synonymis habentur. De quibus plura vide ap. D. Chemn.

in L. L. C. C. c. 1. p. 1. seqq. & D. Gerb. in L. L. C. C. c. 5. de N. D. p. 212. seqq. Item

Hatt. in L. L. C. C. de Trinit. Person. propos. 3. pag. 986. seqq.

Trinitatis Terminus, ex vi vocis idem sonat, quod trium u-

nitatis, quia in divinis sunt tres Personæ unius Essentiæ. Quo-

ad Συνων: putant aliqui Trinitatē & Triplicitatē æquipollere, sed

minus rectè: Nam ut inquit Thomas p. 1. q. 31. art. 1. Triplicitas à Deo

removēda est; arguit enim inæqualitatis comparationē, & Essen-

tix multiplicationē. Nomē autē Trinitatis personarū numerū ita

exprimit, ut Essentiæ indivisam unitatem non tollat. Ergò si rem

recte  
men  
minu  
Trin  
hardi  
  
niun  
ejus  
Que  
Natu  
(1.)  
secuti  
nima  
hære  
perfi  
prop  
1. 1.  
& co  
  
priet  
liter,  
liter  
sona  
de al  
p. 755  
tia,  
quæ  
Sæpè  
D. Ch  
  
liam  
cem  
Alij,  
Aut  
Alij  
hanc  
volu



rectè velimus æstimare, nomen illud, quo Germani ad exprimendam Personarum Trinitatem utuntur, puta *Dreysaltigkeit* minus conveniens est, cum Triplicitatem potius sonet, quam Trinitatem. De Terminis hoc plura vide in *L. L. C. C. D. Gerhardi De 3. Elohim. cap. 1. pag. 326 & in lex. Theol. Alsted. p. 49.*

*Natura*, ut & Græca vox *Φύσις* à crescendo vel oriendo veniunt: inde fit ut communiter loquendo, naturam alicujus rei, ejus genuinam indolem, innatamq; proprietatem vocemus, Quemadmodum annotavit *Flacius part. 1. clav. p. 209.* *Όμων*: Natura autem vel Naturale quinq; potissimum modis dicitur: (1.) *Constitutivè* pro eo, quod ipsi naturæ largitur esse. (2.) *Consecutivè* pro eo, quod à forma essentialiter fluit, ut facultates animæ. (3.) *Subjectivè*, pro eo quod naturæ penitissimè infixum hæret. (4.) *Perfectivè* pro eo, quod naturam exornat, juvat, perficit. (5.) *Transitivè* pro eo, quod naturaliter & per naturam propagatur. *D. Prasæ in Philosoph. Sobr. part. 2. sect. 1. quest. 24. p. 1.* *Συνων*: Appellatur aliàs ordo divinus, & vis in Creatione & conservatione rerum, &c.

*Ιδιώμα*, Græcum vocabulum idem significat, quam *Proprietas*; Hinc & *Ιδιος* *Proprius*. *Όμων*: Sumitur (1.) *Personaliter*, pro aliquo realiter existente in personâ, quod sibi soli realiter competit; quomodo *Paternitas* dicitur esse *proprietas* personalis vel *Idioma* *Patris*, & *Filiatio* *Filij*. (2.) *Predicabiliter*, & de aliquo verè & convertibiliter, secundum *Ioh. Tytz in lex. Theol. p. 755.* *Συνων*: Sunt *ιδιότης*, *Proprietas*, *διαφορά*, *Differentia*, *χαρακτηριστικόν*, *ιδιάζον*, *Proprietas Characteristica*, quæ tanquam signo & nota singulare aliquid constituit & notat: Sæpè etiam *ποιότητος* qualitatis vocabulum ita usurpatur. Vide *D. Chemn. in L. L. C. C. de duab. natur. in Christo c. 1. p. 3.*

*Patris* vocabulum, ut annotavit *Alsted. in lex. c. 2. p. 32.* familiam è Græciâ duxit. Hinc Grammatici tradidère, hanc vocem descendere à *πατέρω*, ita ut *πατήρ* dictus sit quasi *πατήρ*. Alij, *πατήρ* τὸ παθεῖν ἐν τῇ συνουσίᾳ, ἀπὸ μεταφορᾶς ἀλόγων ζώων. Aut etiam *πατήρ* τὸν ἦχον τὸν γινόμενον ἐν τῷ καθ' ἑαυτὸν φιλεῖν τὰ παῖδια. Alij putant dictum esse *πατέρα*, *πατήρ* τὸ παῖδας τηρεῖν. Alij hanc vocem deducunt ab Hebræo *אב* per *πετάθισιν*, à Rad. *אב* voluit, amavit. Qua voce *σοφία* illa naturalis significatur. *Όμων*:  
B Valdè



Valdè autem πολήμους est sive Æquivoca : significat enim vel homines vel Deum. Quando homines (puta in statu eminentiæ constitutos) significat, ponitur (1.) pro Patre naturæ qui genuit liberos, *Gen. 22, 21. 1. Cor. 4, 14.* (2.) Pro Præceptore, qui doctrinam alicujus rei propagat *Malach. 4.* (3.) Pro inventore *Gen. 4, 20. & 21.* (4.) Pro ætate profectis, sic *Virgilius* Anchisem vocat Patrem, item *Æneam.* (5.) Et Magistratus Patrum nomine donantur. Sic apud *Plutarch.* πατέρες συγγεγραμμένοι, apud *Ciceronem* P. C. Patres Conscripti. Sic & hodiè Senatus vel Senatores civitatis cujusdam vocantur Patres Patriæ. (6.) Deniq; ponitur pro omnibus, qui ætate & honore excellunt, quiq; alijs quocunq; modo profunt, *Genes. 45, 8. Job. 19, 16.* Quando Deum significat, usurpatur (1.) ἑσιωδῶς & Essentialiter. Nam Filio & Spiritui S. illud ἐπίθετον hoc sensu tribuitur, quia opera Deitatis ad Extra sunt indivisa, hoc est, communia tribus personis: Ideò Christus vel jure Creationis vel jure redemptionis dicitur Pater noster. (2.) ὑποστατικῶς & personaliter, ratione æternæ illius & ineffabilis generationis, quâ Deus Pater genuit Filium, persona personam per se, & in se, in unitate Essentiæ. Vide *Alst. in lex. d. l. Job. Tyz. in lex. Theol. sub. lit. P. pag. 654. b. Flac. in clav. part. 1. p. 831, 834.* Συνοῶν: Pater in divinis aliàs vocatur Persona generans, prima Persona Trinitatis &c.

Filius dicitur à nomine Φίλος (unde Latinum libet, & nostrum Lieb) sicut enim Pater amat Filium, ita & Filius Patrem: Est n. ἀντιῶς, hoc est, amor mutuus & reciprocus: *Alsted. in lex. Theol. c. 2. p. 36. Betman. de orig. lat. Lingua p. 314. Iodocus Lorich. in Thesaur. p. 1027, a.* ὁμων: Terminus vel vox hæc sumitur, Generaliter, Spiritualiter, & Personaliter: Quando Generaliter sumitur, faciunt Jcti quatuor genera filiorum (1.) Naturales & Legitimos, ut natos ex legitimo thoro. (2.) Legitimos tantum, ut adoptivos. (3.) Naturales tantum, utpote natos ex legitimo conjugio. (4.) Spurius, qui non sunt ex legitimo, sed vago concubitu nati. *Iodocus Lorich. in Thesaur. p. 1027.* Cum Spiritualiter sumitur, sunt (1.) Adoptivi, seu Filij Dei suscepti ex Baptismo, seu Dei semine nati, aut per Spiritum S. renati. Et hoc modo omnes pij erunt Filij Dei, *Galat. 3, 26. Rom. 8, 15. Ephes. 1, 5.* (2.) Filij Diaboli ex Diaboli semine nati &c. Vid. *Flac.*

*sim in.*



civis in clav. pag. 330. seqq. & Dn. Presidi Commentar. in Hoseam part.  
2. cap. 12. pag. 1036. Personaliter sumitur, pro Unigenito Dei Pa-  
tris Filio, secunda Persona Individuæ S. S. Trinitatis passim in  
Scripturis. Συνώνυμα ex jam dictis patent.

Unio ἔνωσις, Terminus secundum Etymon notissimus, si-  
gnificans conjunctionem duarum vel plurium distinctarum  
rerum, ut ex illis unum quiddam constituatur. Ὁμών: Variè  
accipitur, multaq; habet significata. (1.) Est Unio κατὰ διαφο-  
ρὰν ἢ ἀνάγκην: per corruptionem, quando ea quæ uniuntur simul  
corrumpuntur, ad constitutionem unius tertij: ut quando ex  
duorum vel plurium Elementorum corruptione unum mixtum  
generatur. (2.) Κατὰ μεταβολήν, per conversionem, quando alte-  
rum eorum quæ uniuntur, vel aboletur vel absorbetur: vel in al-  
terum convertitur; ut quando modicum aquæ multo vino mi-  
scetur. (3.) Κατὰ σύγκρασιν aut ἀνάγκην, per confusionem.  
Idq; (1.) κατὰ κρᾶσιν, quando duo aut plures humores inter se  
miscentur. (2.) κατὰ φύσιν, quando humida & sicca miscen-  
tur, ut aqua cum farina. (3.) κατὰ σύγχυσιν vel συναλοιφήν,  
ut quando ex cera & pice fit unguentum. (4.) Unio κατὰ σῶρον  
per conservationem, ut quando diversa semina puta tritici & hor-  
dei, in unum cumulum sine discrimine & ordine miscentur &  
conservantur. (5.) Κατὰ παράστασιν, ut quando Angelus assistit  
lateri Petri Act. 10. (6.) Κατὰ σχέσιν, secundum habitudinem, ut  
qui ejusdem prudentiæ, eruditionis, fortitudinis sunt. (7.) Κατὰ  
ἁρμονίαν, ut consensu & voluntate, κατὰ ταυτοβυλίαν, ut cre-  
dentium erat, cor unum & anima una. (8.) Κατὰ μετοχήν ἢ χάρ-  
ειν: ut credentes sunt unus Spiritus cum Deo. (9.) Κατὰ δόκησιν,  
ut in spectris species apparentes. (10.) Est & unio προσωπική,  
quando persona jungitur personæ, ut quando S. Sanctus, ut pe-  
culiaris persona conjungit se cum Paulo, qui alia est persona:  
His accedunt 6. alia unionis significata, quæ recenset Bernhardus.  
(1.) Substantialis, ut in Trinitate, licet tres sint personæ tamen  
propter simplicissimam Essentiæ unitatem est unus Deus. (2.) Car-  
nalis ut mariti & uxoris. (3.) Spiritualis, ut propter unitatem Spi-  
ritus habitantis in credentibus fideles, unum sunt. (4.) Κατ' εἰσῆσιν  
Essentialis, quam unionem vocat Bernhardus Naturalem, qua-  
lis est corporis & animæ. (5.) Κατὰ περιχάρισιν, sicut lux  
corpori solari & ignis ferro unitur. (6.) Κατ' ὑπόστασιν:



Quando in homine consideratur unio animæ & corporis, non sicut ad constitutionem unius naturæ conveniunt, sed ad constituendum unum ὑψίσταμενον. Porro Unio quoq; in Theologia significat conjunctionem fidelium cum Christo, quam sequitur Communio. Hæc fuere significata præcipua unionis, quæ pluribus recenset D. D. Chemnit. in L. L. C. C. in lib. de hypost. natur. union. c. 7 p. 37. seqq. Συνω: Varijs autem nominibus Græci & Latini Unionem nuncupant: Usitata nomina sunt, ἔνωσις, ἀκρα, summa unitio, ἔνωσις ὑποστατική, Unio Personalis. Veteres duriusculè dixerunt κρᾶσιν, σύγκρασιν, παραζεύξιν, συνάφειαν. Temperaturam, Misturam, Adjunctionem, Connexionem, Alst. in lex. c. 10. 263, 264.

Exinanitio Græcis κένωσις Evacuatio, dicitur à verbo κενόω evacuatio. Ὀμω: Non autem significat Phil 2. privationem, ablationem, despotionem, exuitionem, abjectionem, depositionem, remotionem, carentiam, absentiam, defectum, nuditatem, seu vacuitatem plenitudinis Divinitatis, quæ in Christo corporaliter habitavit ab ipso momento conceptionis. Sed respicit usum seu usurpationem ejus, quod sc. infirmitate tectâ non semper tempore exinanitionis in humana natura Christi luxerit, & per eam plenè ac manifestè se exeruerit. Usurpatur & hic terminus κενός à κενόω, de rerum usu & operatione, 1. Cor. 15. v. ult. 1. Thess. 2, 1. 2. Cor. 6, 1. &c. Συνω: Veteribus vocabatur Evacuatio.

Exaltatio habet Etymon notissimum, à verbo Exaltare, quod aliàs significat in altum elevare, & per translationem significat magnificè laudare. Ὀμω: Unde Exaltatio circâ Christum, dupliciter potest intelligi: Aut secundum rem: Aut secundum nostram *Cognitionem*: Exaltatio Christi secundum Rem dicitur, quando à mortuis resuscitatur per ascensionem suam in Cœlos ad dextram Majestatis Dei evectus, regnat & gubernat omnia in cœlo & in terra, Marc. 16, 19. Luc. 22, 69. Act. 1, 9. &c. Alio modo est exaltatio secundum nostram *Cognitionem*, & sic dicitur Christus exaltari in cordibus nostris, Impropiè. Συνω: Dicitur & status Majestatis, gloriæ & potentiae, &c.

Spiritus à verbo Spiro dictus: Ὀμω: Interdum *Creaturis*, interdum *Creatori* tribuitur; sed tamen ἀναλόγως. Quando *Creatur-*



Creaturis tribuitur bifariam usurpatur: aliàs enim *Substantiam*,  
 aliàs *qualitatem* significat. *Substantiam* vel *Corpoream*, vel κατὰ  
 μετὰ φύσιν, Ioh. 3. v. 8. ubi Spiritus ponitur pro vento: Vel *Spiri-*  
*tualiter*, eamq; vel animam, ut Psal. 31, 6. Act. 7, 59. vel Ange-  
 los, eosq; vel bonos, Hebr. 1, 14. vel malos, ut Luc. 11, 26. Quum  
 significat *qualitatem*, usurpatur interdum, pro opinione ut  
 Matth. 5, 3. vel pro affectu animi sive à bono sive malo Spiritu  
 proficiscuntur. Hinc fit ut dona Spiritus S. μετονομαστικῶς vocen-  
 tur Spiritus, ut 2. Reg. 2, 9. Num. 11, 17. Esai. 11, 2. Eph. 1, 7. Galat. 6, 1.  
 Quum Creatori tribuitur, bifariam sumitur, *Essentialiter* & *Person-*  
*naliter*. *Essentialiter* quidem de tota Trinitate, Ioh. 4, 24. *Person-*  
*naliter* accipitur, quum pro tertiâ personâ S. S. Trinitatis poni-  
 tur, ut Matth. 28, 19. Συνων: Appellatur Sanctificator Hebr. 13,  
 12. Spiritus Sanctificationis, 1. Petr. 1, 2. Spiritus vivificans, Gen.  
 1, 2. 2. Cor. 3, 6. Spiritus adoptionis, Rom. 8, 13. παρὰ κλητος Ad-  
 vocatus secundum Metaphoram, Ioh. 15, 26. Spiritus veritatis,  
 Ioh. 14, 17. & 16, 13. Vide Alsted. in lex. Theol. c. 2. p. 42. seqq. in En-  
 cyclop. Philosoph. l. 6. de Pnevmat. part. 1. c. 1. p. 299. & in Triumph.  
 Bibl. Sacr. c. 8. p. 52, 53, 54. seqq. Dn. Præsidis Comment. in Hoseam,  
 part. 1. c. 4. p. 434. Becan. part. 1. Theol. Schol. c. 6. q. 1.

## THEOREMA IV.

Vel ἐγγὺα exprimentes, eaq; vel ad intra, ut *Generatio*,  
*Processio*, *Relatio*.

Ἐξήγησις.

*Generatio* à gignendo, sicut & Græcum γενεά, & Hebræum  
 תולדה, Οἶκον: habet varia significata in sacris literis, alijs  
 linguis minus usitata (1.) Significat *successiones hominum* sese in-  
 vicem gignentium aut propagantium. Sic ab Abrahamo usq;  
 ad nativitatem Christi Matthæus dicit fuisse generationes 42.  
 Matth. 1, 17. id est, tot Commutationes hominum in unâ lineâ,  
 seu successiones liberorum Parentibus succedentium. (2.) *O-*  
*mnnes homines simul aliquo tempore viventes*: Sic Exod. 1, 6. dicitur,  
 mortuus Joseph & universa illa generatio. (3.) Significat *ho-*  
*mines*, non quidem eodem tempore viventes, sed tamen simili in-  
 genio præditos. Sic dicitur generatio justorum Psal. 14, 6. & Psal.  
 24, 6. dicitur generatio quærentium Deum. (4.) *Ipsum seculum*,

B 3

tempesta-



*rempestatem, etatem.* Sic Gen. 15, 16. dicit Deus Abrahamo, posteros ejus 400. annis servituros exteris, & quartâ generatione illos reversuros; scilicet exactâ illâ generatione. (5.) Ipsam propagationem aut etiam creationem seu nativitatem significat. Sic Gen. 2, 4. dicitur: Hæc est generatio Cœli & terræ; pro, hoc modo cœlū & terrâ à Deo procreata sunt. (6.) Interdum significat res gestas & negotia, quæ unâ aliquâ ætate, aut certis quibusdam hominibus acciderunt: sicut semper in Genesi, cum propagationes alicujus familiæ indicantur, simul & res gestæ narrantur. (7.) Nonnunquam unius familiæ propagatio dicitur, sicut sæpè in Genesi habemus: Hæ sunt generationes Sem, cap. 11, 10. hæ sunt generationes Esau, cap. 36, 1. (8.) Aliquando certum genus hominum notat, ut Prov. 30, 11, 12, 13. Est generatio quæ patri suo benedicit. (9.) Aliquando simpliciter ipsam gentem significat. Sic Christus dicit Matth. 24, 34. eam generationem non transituram donec omnia fiant; id est, gentem Judaicam non interituram prorsus. Tandem sumitur pro æternâ Filij Dei generatione. Psal. 2. Flac. in clav. part. 1. p. 357. seqq. Iohan. Tyz in lex. sub lit. G. pag. 337. seqq. Συων: Æquipollent ferè cum Generatione, Procreatio, Genesis, Nativitas, Genitura, &c.

Processionis Notatio nota est, venit enim à verbo *procedere*. Ομων: Et capitur dupliciter (1.) pro processione Filij, qui etiam procedere dicitur à Patre, Ioh. 8, 42. quod factum est in temporis plenitudine, incarnatione & nativitate suâ, teste Apostolo, Galat. 4. (2.) Pro processione Spiritus S. quæ est æterna Subsistentia extra omnia temporum διαστήματα. Hæ autem Duæ Filij & Spiritus S. processiones ipsis vocabulis in N. T. distinguuntur. Filius enim ἐξελθεῖν dicitur, Spiritus S. verò ἐκπροέβειν, Ioh. 8, 42, 16, 28. D. Balduinus Parens meus honorandus Disput. 3 articul. Semalcald. 1b. 65, 66. Συων: Putant aliqui, missionem, dationem, &c. æquipollere cum Processione. Sed falsum. Aliud enim est Donatio vel missio Spiritus S. quæ fit vel visibiliter, vel invisibiliter in corda credentium; aliud Processio. Dicitur enim procedere à Patre & Filio, non cum mittitur & effunditur super domum David, Zachar. 2, 10. sed respectu Essentiæ, quam ab æterno accepit communicatam sibi à Patre & Filio. Plura vide



Vide in L. L. C. C. D. Chemnitij part. 1. pag. 102. 103. & seqq. & Iohann. Tyz in lex. sub lit. P. pag. 746. seqq.

Relatio descendit à *refero*, quod aliquid referat, sine quo nec ipsum quidem possit consistere; ut Pater & Filius. Ὀμων: Variè autem secundum nomen distinguitur: (1.) Alia enim Relatio est secundum esse, alia secundum dici. (2.) Alia est realis, alia rationis. (3.) Alia est predicamentalis, alia transcendentalis. (4.) Alia Creata, alia increata. De quibus omnibus Metaphysici agunt, nostrum non est falcem in alienam messem injicere; ideoq; tutius est hic non diu immorari, quam ὑπὲρ τὰ ἑσκαμμένα πιδᾶν. Videantur modò Fonseca: Metaphys. cap. 15. q. 1. lib. 4. Suarez Disp. 47. sect. 4. num. 9. ad 16. D. 8. D. Iacob. Martin. Part. Metaph. l. 2. sect. 11. q. 7. Ioh Tyz in lex. sub lit. R. p. 782. b. Συων: Ab Alijs dicitur Respectus, Habitudo: Inter quæ tamen alij distinguunt. D. Iacob. Martin. d. l. l. 2. sect. 11. q. 9. Regius lib. 1. log. probl. Armandus tract. 2. cap. 170.

## THEOREMA V.

Vel ad Extra: quæ vel Generales: ut, Creatio, Providentia, Præscientia, Necessarium, Contingens, Fatum &c.

Ἐξήγησις.

Creatio deducitur communiter à *κρέω*, unde *κράνω*, facio & impero, quia nempe effectio rei prima & imperium in eam sunt conjuncta. Ὀμων: Terminus hic multa habet significata. Est (1.) Actio ejus qui creat, & Passio ejus, quod creatur. (2.) Creare per Synechdochen generis est idem, quod efficere ejusmodi aliquid cui antea simile non fuit, seu producere substantiam novam, vel sine materiâ præjacente & præexistente. (3.) Per aliam Syn. gen. est idem, quod generare. Συων: Ideoq; Generatio & Creatio interdum latè habentur pro Synonymis, Alst. in lex. c. 4. pag. 143. & 144.

Providentia dicitur à *providendo*, quod idem significat, atq; antè aliquid videre: Contractè Prudentia. Ὀμων: Notat (1.) Actum, quo aliquid videtur, antequam fiat, atq; ita videtur in causâ suâ; Et sic idem est providere, quod prævidere, ut Genesis. 22. cap. 30, cap. 41. &c. (2.) Actum Dei seu decretum de rebus, quæ considerantur sine respectu salutis & miseriæ æternæ. (3.) Executionem, quæ res conditæ gubernantur. Συων: Græci



Græci *πρόνοια* vocârunt, item *ἀδράσειαν*, à *διδράσκω*, fugio, eò quod Providentiam nihil effugiat: Item *πεπερασμένην*, quasi *πεπερασμένην*, id est perfectam & transactam rerum gubernationem. *Alsted. d. l. p. 143. seqq. Ioh. Tyz in lex. sub lit. P. p. 757. seqq. Flac. in clav. part. 1. lexic. p. 979.*

*Præscientia* à Providentia rectè distinguitur. Hanc vocant Græci *πρόνοια* ut modò dictum, illam *πρόγνωσις*, ut 1. Petri 1, 2. Originem suam trahit à verbo *præscire*. *ὁμων*: Et accipitur dupliciter. (1.) Latè, pro præcognitione divinâ, respectu cujuslibet futuri. (2.) Strictè, pro præcognitione divinâ vel alicujus boni, ut Rom. 8, 30. vel mali in specie Ioh. 18, 4. Exod. 10, 10. Verum plerumq; in N. T. usurpatur de bonis, Rom. 11, 2. 1. Petr. 1, 2. & v. 20, Act. 2, 23. *Συων*: Hinc communiter appellatur & Dei Prævisio, Galat. 3, 8. Act. 2, 30. & 31. Sap. 9, 1. Chemnit. in L. L. C. C. part. 1. cap. 6. pag. 160. seqq.

*Necessarium* aliqui derivari volunt à *cesso*, quod in eo minimè cessetur; quidam, quod *NECESSARIUM*, *Necessarium* descendere dicunt, ut potissimum sentit Scaliger de Causs. L. L. cap. 166. *ὁμων*: Vulgò quatuor genera *Necessarij* vel *Necessitatis* recensentur, utpote (1.) *Datur Necessitas Absoluta*, cum videlicet res aut propositio aliter se habere non potest, quæ necessitas tantum in divinis & æternis locum habet; ut necesse est ἀπλῶς & absolutè Deum esse justum: Spiritus esse incorporeos: Solis exortum comitare diem. (2.) *Necessitas consequentiæ*, sive ἐξ ὑποθέσεως, quæ est earum rerum & propositionum, quæ possunt se naturâ suâ aliter habere: sed fiunt necessariò, vel propter præcedentes causas, vel quia determinatæ sunt. (3.) *Physica* & quidem earum rerum, quarum mutabilis quidem est conditio, sed tamen lege quadam immutabilitatis sic constricta, ut eam solvere non nisi causa prima & suprema possit, ut ignis necessariò calefacit: ferrum necessariò propter gravitatem tendit deorsum. (4.) *Necessitas Definitionum & Demonstrationum*, quæ nihil est aliud quam propositio, cujus si fingatur oppositum, fit implicatio contradictionis: Sed de hoc necessitatis genere in Logicis potissimum agitur, ad præsens nostrum institutum non pertinet. Varias ulterius *Necessarij* significationes vid. in L. L. C. C. D. Chemnitij part. 1. cap. 7. 16. 6. seqq. & in L. L. C. C. D. Hut-

teri p.



307i p. 258. seqq. Συμῶν: Ex varijs illis generibus vocatur aliàs  
Immutabilitas. Oppositum huic termino est

*Contingens* à verbo *contingere*. Ὀμῶν: *Dupliciter* sumitur:  
*Generaliter* & *Specialiter*. Nam τὸ ἐνδέχασθαι, inquit *Aristoteles lib.*  
*1. prior. cap. 3.* πολλαχῶς λέγεται, καὶ γὰρ τὸ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ  
μὴ ἀναγκαῖον, καὶ τὸ δυνατὸν ἐνδέχασθαι λεγόμενον. *Generaliter*  
ergò sumitur *contingens*, pro omni eo, quod non est impossi-  
bile, sive in suâ materiâ sit necessarium, sive *contingens*. Un-  
de hoc modo necessaria sæpè *contingentia* dicuntur. Sic dici-  
mus, contingit terram stare & cœlum moveri, quia experimur  
id ita fieri, quod tamen *contingens* non est, sed necessarium,  
necessitate *Physicâ*. Deinde *Specialiter*, usu magis proprio &  
angustiore id *contingens* dicitur, quod neq; impossibile est, neq;  
necessarium; Sed antequam actu existat, produci vel non pro-  
duci potest. D. D. *Jacob Martini Part. Metaph. l. 1. sect. 10. pag. 44.*  
*Iob. Tyz in lex. sub lit. C. p. 198. b.* Συμῶν: *Æquipollent* ferè cum  
Termino *contingens*, *Casuale*, *Accidentale* &c.

*Fatum* nomen habet à *sando* teste *Varrone lib. 5. de ling. lat. &*  
*August. 5. de C. D. cap. 9.* quia dicere & facere in Deo idem sunt; &  
ut *Lucanus* ait: ----- non vocibus ullis

Numen egit, dixitq; semel nascentibus auctor,  
Quicquid scire licet.

Ὀμῶν: *Quadruplex* autem *Fatum* vulgò constituitur. (1.) *Theo-*  
*logicum*. (2.) *Astrologicum*. (3.) *Stoicum*. (4.) *Aristotelicum* seu *Phy-*  
*sicum*. *Theologicum* est æternum Dei decretum & consilium de o-  
mnium rerum eventibus. *Astrologicum* est *influentia* corporum  
cœlestium in inferiora corpora. *Stoicum* absolutam omninò ne-  
cessitatem in re naturali introducit, orientem à necessariâ &  
infallibili connexionem primæ causæ cum secundis, in actioni-  
bus promiscuè omnibus, ita ut voluntates etiam hominum sim-  
pliciter impellantur à Deo ad bona & ad mala. Græcis ἀνάγκη  
vocatur & tollit omnem omninò *contingentiam*. *Aristotelicum*  
vel *Physicum* est ordo causarum secundarum naturalium, quarum  
una semper ab alterâ dependet, & ex ea sequitur: qui ordo quo-  
tidie in naturâ cernitur. Συμῶν: Ideoq; Græcis πεπεωμένη,  
quasi πεπερωμένη ἐκείνη τῶν οὐρανῶν ἢ φύσις dicitur. Latinis vo-  
catur & *Fortuna fatalis*, *Necessitas fatalis*, &c.

C

THEO-



## THEOREMA VI.

Vel Speciales : ut *Prædestinatio, Reprobatio, Voluntas, Redemptio, Meritum Christi, Vocatio, Justificatio, Gratia, Imputatio, Remissio peccatorum, Sanctificatio.*

Ἐξήγησις.

*Prædestinatio* & prædestinare, est aliquid *destinare* antequam fiat. *Destinare* verò est, in animo aliquid designare, firmiter & constanter statuere; quod & notat Græcum vocabulum *προορισμὸς* à verbo *προορίζω* quod præfinire, prius definire significat. Ὁμῶν: Sumitur *latè & strictè*. *Latè* Patres nonnunquam vocabulum prædestinationis pro *omni decreto* usus fuisse constat. Nam eo sensu *Isidorus lib. 2. de summo bono: cap. 5 & 6.* Gemina est *Prædestinatio*, sive *Electorum* ad *requiem*, sive *reprobatorum* ad *mortem*. Sic & *Augustinus lib. 15. de C. D. cap. 1.* *Mysticè* appellamus *duas civitates, id est, hominum societates, quarum una prædestinata est æternum regnare cum Deo, alteram æternum iudicium subire cum Diabolo.* *Strictè* est voluntatis divinæ propositum & Decretum ab æterno factum, quo Deus ex merâ misericordiâ in Christo ad vitam æternam elegit, & salvos constituit omnes eos, qui in Christum verè credunt, & in eâ fide ad finem usq; perseverant: reliquis omnibus propter finalem incredulitatem æterna damnationi adjudicatis. Συμῶν: In Sacro Codice Electio & prædestinatio æquè latè patent, & Synonyma sunt, ita ut omnes & soli Electi sint prædestinati, & contra. Unde Apostolus *Rom. 8, 30.* electos definit, ἅς θεὸς προώρισεν & *Ephes. 1, 4. & 5.* connectit utrumq; ἐξελέξατο ἡμᾶς, εἶναι ἁγ. ἅς, προορίσας ἡμᾶς εἰς ὑιοθεσίαν. Quamvis Calviniani putent, hæc duo vocabula differre ut genus & speciem. De quo vid. *D. D. Praesid. Philosoph. Sobr. part. 1. sect. 1. q. 3. p. 256. Alsted. in lex. c. 3. p. 138. Flac. in Clav. part. 1. lex. p. 937.*

*Reprobatio* à verbo *reprobare* originem suam trahit, & in Scripturâ frequens est, significat rejicere damnare aliquid aliquemvè tanquam improbum & indignum, ut *1. Cor. 9, 27. 2. Cor. 13, 5. 6. 7.* Ὁμῶν: Capitur dupliciter. (1.) Pro *Reprobatione Originali*, quando quis habet mentem reprobam, & ad bonas actiones ineptam ex vitio peccati originalis, & sic quilibet homo vocatur reprobus. (2.) Pro *Reprobatione habituali*, quando quis omni excusso pudore ruit in scelera non tantum contra legem,

Dei,



Dei, verum etiam contra rectam rationem. D. D. Balduinus in  
Comment. Epist. ad Roman. cap. 1. q. 10. p. 109. Alst. in lex. cap. 3. p. 142.  
Συνων: Græcis ἀδουκμία & ἀδουκμασία dicitur, 2. Cor. 13, 5.

Voluntas etiam quo ad suum Etymon venit à Græco verbo  
βύλωμαι abjecto (υ) more eorum, qui ἀμπέλος dicunt pro ἀμ-  
πέλος, Jul. Casar. Scaliger. c. 27. L. L. Ομων: Voluntatis autem  
nomine tria significantur tam apud Græcos quam apud Latinos.  
(1.) Ipsa anime facultas denotatur, ita dicimus hominem constare  
intellectu & voluntate, hoc est, facultate intelligendi & volen-  
di. (2.) Actus hujus facultatis modò νοσος ὄρεξις, h. e. appetitus  
rationalis, modò electio πορράρεσις. (3.) Objectum, id est, res  
quam volumus, nomine voluntatis significatur. Sic dicimus  
voluntatem esse principis, id quod Princeps vult & definit. Sic  
Iohan. 6, hæc est voluntas Patris mei, h. e. id quod vult & definit.  
Sic Phavorinus ait, θέλημα esse, primò quidem ἀυτεξέσιον τῆς ψυ-  
χῆς θόναμι, καὶ τὸ θελητικόν, deinde τὴν ἐσίαν νοσος νοσος  
ὄρεξις: postremò τὸ θελητικόν, Alst. cap. 2. lex. p. 61. Συνων: He-  
brais vocatur וָוָב ab anima, totum pro parte, ut Psal. 22, 12.  
וָוָב Iob. 9, 26. וָוָב desiderium, eò quod desiderare & velle a-  
liquid habeantur pro συνωνύμοις, 1. Reg. 9, 19. Esai. 21, 4.

Redemptio à verbo redimo, quasi dicas iterum imò, id quod  
antè à me in alienam potestatem aliqua ratione aut jure transivit.  
Plat. part. 1. clav. p. 1017. Ομων: Significat (1.) Ipsum pretium da-  
tum pro redimendis peccatoribus, quod etiam Græca vox λύτρον  
aliquo modo innuit, & Hebraics dictio וָוָב usurpatur pro Re-  
demptionis pretio Exod. 21, 30. (2.) Tum ipsum actum liberandi,  
tum & liberationem aut libertatem jam effectam partamq; Luc. 1, 68.  
cap. 21, 28. Συνων: Græcis vocatur λύτρωσις, item ἀπολύτρωσις,  
dictis locis.

Meritum derivant Isidor. l. 11. c. 3. & Beckman. in orig. lat. ling.  
p. 552. à Græco verbo μείρω vel potius in passivo μείρομαι, quod  
est divido, quia Meritum partium est, sive labores sive pretium  
spectes. Ομων: Sumitur in bonam & in malam partem. In malam  
pro merito pœnæ, ut Hebr. 10, 29. Iob. 6, 2. In bonam partem ve-  
rò pro aliquo indebito officio alteri præstito, & tale meritum  
est Christi meritum, de quo passim in N. T. Συνων: Vocatur  
aliàs in Scripturis Satisfactio Christi pro peccatis, &c.



Vocatio derivatur ex mente Scaligeri lib. 7. poët. cap. 1. f. p. à Græco βόαω, ita ut vocatio vel Φωνή sit quasi Φώς νοός. Ομων: Est in Scriptura terminus πολύσημος. (1.) Improperie significat conditionem & sortem vitæ, quam deligit sibi unusquisq; dum hoc vitæ genus alteri præfert, 1. Cor. 7, 20. & 29. (2.) Interdum significat votum & suffragium hominum, quempiam ad munus aliquod vocantium. Sic alius agit Pastorem, alius Diaconum, alius Professore, &c. (3.) Proprie, quando Deus colligit & colligere jubet multos & quidem gentes ex multis nationibus, sine discrimine personarum, loci, sexus, temporis absq; ullo merito sed ex gratiâ; quemadmodum istæ vocationes leguntur Marc. 16, 15. Rom. 10, 18. Coloss. 1, 23. Actor. 17, 30. cap. 10. v. 33. Rom. 16, 26. Συων: Græcum vocabulum κλήσις cum vocatione latino termino ferè æquipollet, ut videre est 1. Cor. 7, 20. Matth. 20, 16.

Justificatio forensen habet significationem, à justificare latina origine significat reapse justum facere, h. e. cor renovare, quod solius Dei est proprium: qua significatione videtur Apostolus usus esse 1. Cor. 6, 11. quamq; significationem nonnulli Patres atq; cum primis Augustinus secuti sunt, ita ut justificare ferè illis nihil aliud fuerit, quam ex injusto justum fieri per gratiam Dei propter Christum. Ομων: Quanquam verò vocabulum justificandi apud profanos Scriptores Latinos non reperiatur; tamen Græca vox δικαιῶν & Hebræa פָּדַן tum in Scripturis, tum etiam apud autores passim leguntur. Et quidem Græca vox δικαιῶν sumitur (1.) Neutraliter, idemq; est, quod arbitrari, existimare, putare, censere; quo sensu legitur apud Herodotum: ἔδικαίωσεν γυναίκα, ducendam sibi uxorem putavit: vel justum esse arbitratus est uxorem ducere. Item δικαιῶσιν αἰγύπτιοι γέν, Ægyptij æquum censent sacra facere. (2.) Active, & denotat idem, quod supplicio afficere, realiter punire. Hinc δίκη quandoq; pœnam significat, & Suidas δικαιῶμενον exponit per δίκην τυγχάνοντα. Hæc significatio obtinet etiam apud Germanos, qui dicunt, Einen armen Sûnder rechtfertigen/ hoc est, supplicium de illo sumere. (3.) Passive, sed in bonam partem, quo sensu ab Aristotele 5. Ethic. accipitur, ubi δικαιῶσθαι dicitur, cui suum tribuitur, Dem recht geschicht/ unde colligitur Activum δικαιῶν significat



gnificare, alicui suum jus tribuere. Sic & Hebræa vox  $\text{נָטַף}$  in prima conjugatione notat justiciam habere vel justum esse positivè, ut *Psal. 19, 10. Psal. 143, 2. Job. 9, 10. cap. 10, 25. cap. 13, 18. Esai. 45, v. ult.* In secunda conjugatione significat in genere, tribuere alicui justiciam, ut *Ierem. 3, 11. Job. 32, 1. cap. 33, v. penult. Ezech. 16, v. 51. & 52.* In tertiâ conjugatione habet forensam istam significationem, videlicet aliquem in judicio absolvere. In quarta conjugatione significat seipsum justificare & bonitatem causæ suæ argumentis & testimonijs asserere, quo pacto usurpatur *Gen. 4, 16.* Videatur Buxtorff in *lexic. Hebraic. p. 630.*  $\text{סוּבַח}$  &  $\text{וּבַח}$  ex jam dictis constant. Vid. *Dn. Præses in Philos. Sobr. part. 2. sect. 1. cap. 1. p. 27. & 219. seqq. Alst. cap. 17. lexic. p. 309. Flac. in clav. part. 1. lexic. p. 506. seqq. Job. Tyz in lex. theol. sub lit. I. p. 473. Chemnitius part. 2. L. L. C. C. fol. 251. seqq.*

*Gratia* ab Hebræo  $\text{נָטַף}$ , id est, gratum habuit, acceptavit, dignatus est gratia, *Becman. in orig. lat. ling. p. 348.*  $\text{ὄμων}$ : Sumitur (1.) pro *donis gratuitis*, per metonymiam effecti pro causa, quia pro dono ponitur principium donationis quod est gratia: Hinc est  $\text{נָטַף}$ , Hebræis interdum idem est, quam donare, uti videre est *Gen. 33, 5. Actor. 11, 23.* (2.) Pro *gratiositate*, seu pro illa mansuetudine & comitate, qua quis se omnibus bonis amabilem reddit & gratum, *Luc. 1, 26. Luc. 2, 52.* (3.) Denotat *favorem & misericordiam*, vel potius misericordem & clementem voluntatem Dei, qua erga nos homines affectus est. Quam significationem vocat *Flac. Activam part. 1. lex. p. 369.* quia Deus per eam erga nos agit. *D. Præses in Phil. Sobr. part. 2. sect. 1. cap. 1. p. 196. Alst. d. l. p. 404.*  $\text{Σοῦω}$ : Vocatur Græcis  $\chiάρης$  *2. Cor. 2, 14. cap. 12, 9. Job. 1, 16. Ephes. 2, 15. cap. 3, 1.* Hebræis  $\text{נָטַף}$  *Gen. 6, 8. Job. 41, 3. Gen. 39, 21.*

*Imputatio* generaliter & Originaliter significat quandam translationem, vel *acceptilationem* (quo termino juridico *Flac. in clav. pag. 415.* utitur) alicujus rei, sed non realem, verum præcipuè rationalem, aut solâ cogitatione factam. Quando enim alteri ab altero per decretum, vel per cogitationem aliquid attribuitur, tunc ei imputari dicitur  $\text{ὄμων}$ : Sumitur (1.) *Essentialiter* & vocatur *imputatio Essentialis*, cujus duo sunt modi (1.) *Cum res vera ac existens in rationes refertur, tanquam alicujus*



momenti, & non negligenda, ut *Psal. 144, 3.* (2.) Cum rei aut facti suum primum aut pretium bonum aut malum deputatur ordinaturvè. Sic operanti sua merces adjudicatur vel imputatur. (2.) Sumitur *Rationaliter* & appellatur *Imputatio Rationalis* vel *Cogitationis*, & hæc rursus (1.) Vel rei, seu *personalis*, cum res ab alia persona ad aliam sola cogitatione transfertur. Sic *justicia Christi* ab ipso ad nos, & vicissim nostra *injusticia* ad ipsum solâ cogitatione, voluntate aut decreto Dei transfertur, eivè imputatur. (2.) Vel *pretij*, seu *realis*, cum dignitas valor, preciositas alterius rei ad aliam rem solâ cogitatione transcribitur; sic *aulico nobilitas* pro virtute apud Regem est. *Dn. Praeses d. l. pag. 240. seqq.* *Συμων*: Terminus Juridicus *Acceptilatio* æquipollet *Imputationi*, uti dictum.

*Remissio*. Quo ad Etymon Terminus notissimus. *Ἰμων*: Notat late quancunq; remissionem. *Stricte* verò illam, quæ facta est per Christum *μεσὶ τὴν ἡμετέραν* nostrum unicum gloriosissimum, ut plenissimè reconciliati & in Filios adoptati, à peccati reatu ac supplicio liberemur, & æternam beatitudinem consequemur. *Συμων*: Appellatur & *Condonatio* & *Ἰμων* *Matt. 12, 31. Iacob. 5, 15.*

*Sanctificatio* Idem significat, ac si dicas *Sanctificatio*: Derivatur enim à *Sanctus* & *facio*, quia Deus credentes Sanctos facit. *Ἰμων*: Varia significata habet in Scriptura. (1.) Significat *Celebrationem*, vel Celebrari ac agnosci aliquem Sanctum. Sic precamur quotidie, ut nomen Dei sanctificetur, hoc est, Sanctum esse agnoscat, pro sancto habeatur, celebretur & colatur. (2.) Ex ponitur de *Oblatione Christi*, quod semetipsum offerat ac sacrificet Patri, quemadmodum ipse inquit *Iob. 17, 19.* Ego me pro illis sanctificatio, ut & ipsi sint sanctificati in veritate. (3.) Pro *passiva illa Sanctificatione* accipitur, quâ Deus nos sanctificat *Iob. 17, 17. Ezech. 20, 12. 1. Cor. 1, 2. Ephes. 5, 27.* (4.) Pro *activa*, qua nostram vitam & actiones nostras sanctificamus, aut sanctos facimus *2. Cor. 7, 1. Rom. 6, 19. Levit. 20, 7. 1. Thess. 4, 3.* (5.) Usurpatur de quadam externa, corporea, aut etiam *ceremoniaria sanctificatione* hominum ac rerum, *Exod. 13, 2. cap. 16, 10. Hebr. 9, 13. Act. 21, 32.* (6.) De *Separatione aliqua* in aliquem insignem usum, *Esai. 13, 3. Ier. 12, 3.* (7.) Sanctificare significat etiam *moliri aut conari aliquid*, *Ier. 6, 4. Mich. 3, 5.* (8.) Significatio est quasi *antiphrastica*



phrastica aut contraria nativæ ac primariæ significationi; qui enim contingebat aliquid rerum sacrarum, quas ei tangere non licebat, sanctificari dicebat, id est, revera contaminari & coram Deo immundus esse, Exod. 29, 37. Levit. 8, 15. Συων: Græcis vocatur ἁγιασμός Rom. 6, 19. Flac in clav. part. 1. p. 1076 seqq.

## THEOREMA VII.

Ἀνθρωπολογικὸν ἔ 1. quidem in statu Integritatis, ut Imago Dei, Liberum arbitrium, &c.

Ἐξήγησις.

Imago Dei quid fuerit non est nunc nostri instituti copiose perscrutari: Sed abunde eam Scriptura declarat, cum ejus instaurationem explicat, & contrariam imaginationem exuere jubet Coloss. 3, 5. Οὐων: Dicitur verò & Christus ἔ Homo Imago Dei Patris: Christus quidem, quia qui videt eum, videt & patrem; & nemo venit ad Patrem, nisi per ipsum: ipse quippe est ostium ad Patrem, 2. Cor. 4, 4. Coloss. 1, 15. Homo quoq; dicitur imago Dei, sed accidentaria, ut inquit Flacius in clav. part. 1. p. 408. id est, non consubstantialis, ut est Filius Patris. Nam Gen. 1. ἔ 2. dicitur ipse conditus ad imaginem & similitudinem Dei. Multæ aliæ sunt Imaginis significationes generales; sed meritò à nobis omittuntur, cum parum faciant ad nostrum institutum. Συων: Alias εἰκὼν Hebr. 10, 11. Similitudo Dei, Coloss. 1, 15. appellatur.

Liberum Arbitrium, per illud intelligimus liberam illam voluntatis potestatem eligendi & repudiandi. Unde & voluntatis arbitrium nuncupatur ab Ambrosiolib. 2. de Fide, ἔ Augustinolib. 5. de Civit. Dei cap. 9. lib. de grat. ἔ liber. arbitr. cap. 2. Derivaturq; à verbo arbitrari ex illo Augustino loco Tom. 7. lib. 3. hypognosticῶν quando ait: Arbitrium ab arbitrando, rationali consideratione, vel discernendo, quid eligat, quidve recuset, pato quod nomen accepit. Arbitrari autem (cum sit idem, quod opinari, judicare) est actus mentis. Quare arbitrium ad mentem pertinet, adeoq; actum rationis formaliter dicit; quo referendus est locus 1. Cor. 7, 37. Qui non habet necessitatem ἐξουσίαν θεῖ ἔχει παρὶ θεοῦ ἰδὶα θελήματα; sed potestatem habet suæ voluntatis; quibus verbis ipsum liberum arbitrium innuitur, ideoq; hac voce facultatem eligendi notari consequitur. Οὐων: Flacius d. l. p. 571. autumat liberum arbitrium tria significare. (1.) Intellectum. (2.) Voluntatem. (3.) Quandam facultatem



facultatem exequendi ea, quæ intellectus aut voluntas decrevit: id quod non inficiamur, si de omnibus liberi arbitrij requisitis & tota ejus essentia quærat. Hic tantum de termino agimus, totam naturam liberi arbitrij considerare propositum nostrum non est. Συων: Justinus vocat ἀυτεξισίαν, ἀεγαίρεσιν τὸ ἐφ' ἡμῖν. Alias Libertas, Potestas arb. trij, Augustino Libera voluntas, lib. 3. de Libr. arbitr. vocitatur. Dn. Praeses in Phil. Subr. part. 3. sect. 1. c. 1. q. 1. p. 2, 3. seqq. Chemnit. in L. L. C. C. part. 1. p. 169. seqq. Flac. d. l. Iohan Tyz in lex, sub lit. L. pag. 595. a.

## THEOREMA VIII.

2. Statu Corruptionis; ut: Peccatum, Peccatum Originis, Mortale, Veniale, Peccatum in Spiritum Sanctum.

Ἐξήγησις.

Peccatum unde derivetur, hoc unus Ianius rectè expressit, quando dixit in libro de peccato Adami primo q. 1. c. 2. p. 92. Peccare Latinis esse, quasi peccare, sive pecucare, sive pecudicare, à pecudibus pro eo, quod est pecudis modo lineas transfilire, quas Deus homini circumscripsit. Qua de causa & Cicero 3. paradox. describit peccatum, quod nihil sit aliud quam lineas transfilire. Quamvis alij malint ducere à ἡμῶν id est, metam transgressus est sicut Græcis ἀμαρτάνω est à ἡμῶν ὄμων: Notat autem ἡμῶν vel peccatum (1.) Culpam. (2.) Pœnam, 1. Reg. 13, 34. & cap. 35. 3. (3.) Metonymicè Sacrificium pro peccato. Sic 2. Cor. 5, 21. Christus dicitur pro nobis factus esse peccatum, id est, victima pro peccato, vel peccator non inhæsiuè sed imputatiuè. Dn. Praeses in Comment. in Hos. cap. 4. part. 1. pag. 394. Alst. cap. 8. lex. p. 206. Ioh. Tyz in lex. theol. sub lit. P. pag. 659. a. Συων: Varia autem in Scripturà Peccatum sortitur nomina. Jam κακία malitia, πονηρία nequitia 1. Cor. 5, 8. ἀδικεία Rom. 1, 18. ὀφείλημα debitum Matth. 6, 12. & cap. 18, 32. modo fermentum vetus 1. Cor. 5, 7. 8. κατὰ μέτρον, παραπτώμα lapsus Matth. 6, 14, 15. Marc. 11, 25, 26. Galat. 6, 1. opus carnis Galat. 5, 19. Item opus Diaboli, Ioh. 8, 47. Cupiditas Diaboli, Ioh. 8, 44. opus mortuum Hebr. 9, 14. & opus tenebrarum Rom. 13, 12. appellatur.

Peccatum originis non dicitur Originale ab origine mundi, neq; ab Origine creatæ naturæ humanæ, peccatum enim ab initio mundi



mundi non fuit in homine, intravit enim in mundum Rom. 5, 12.  
Sed (1.) respectu termini à quo remotiori, nempe lapsus Adamici  
tempore (2.) Propinquiori, nimirum ab origine hominis, qui ex  
immundo semine concipitur Job. 14, 4. *ὄμωv*: Sumiturq; vel  
pro malo actu primorum parentum, vel pro malo habitu, qui in po-  
steros per carnalem generationem propagatur. Mali causa ex-  
trinfeca erat Diabolus persuadens; intrinfeca, voluntas sequens.  
Mali habitus causa erat ipse malus actus. Sicut enim nunc per  
multiplicationem actuum comparatur habitus, ita tunc per pri-  
mum actum malum, qui ob insignem enormitatem longè ope-  
rosior erat, quam crebra actuum multiplicatio contrahebatur.  
proh dolor! originalis vel habitualis illa labe, omnes vires a-  
nimæ corporisq; quam turpissimè corrumpens. Dn. Preses part. 1.  
Philos. Sobr. sect. 4. q. 6. p. 667. *Συvωv*: Alij naturale contagium,  
naturale peccatum, vitium naturæ ex Ephes. 2, 3. nominant.

*Peccatum Mortale*, quo ad Etymon ab Effectu conseq. dici-  
tur mortale, quoniam caro in renatis regnat & vincit, certò cer-  
tius ad ipsum mors & damnatio æterna, nisi fiat remissio per  
Christum, consequitur. *ὄμωv*: Ideoq; committitur tum in fa-  
ciendo, tum in omittendo: Unde dicuntur peccata mortalia quæ-  
dam commissi, quædam delicti: Illa sunt prævaricationes seu trans-  
gressiones legis quo ad præcepta negativa; ut puta nō occides nō  
mæchaberis: Hæc sunt prævaricationes seu transgressiones legis  
quo ad præcepta affirmativa: sicut sunt; Diliges Dominū Deum  
tuum ex toto corde &c. Honora Patrem tuum &c. *Συvωv*:  
Dicitur vulgò peccatum regnans, Voluntarium, Conscientiam  
vastans, Peccatum peccans.

*Peccatum veniale* non ratione efficientis per se, quasi veniam  
per se mereatur, veniale dicitur: neq; ratione qualitatis nativæ,  
quasi sua natura Veniale sit: Nullum enim peccatum etiam mi-  
nimum in se veniale; est enim ἀνομιὰ 1. Job. 5, 4. sed ab eventu,  
quia credentibus ex Dei gratia remittitur propter Christum, nec  
ad condemnationem imputatur. Atq; sic quod sua natura &  
per se mortale est, renatis ex gratiâ Dei cum condonatur, fit ve-  
niale. Terminus hic non valdè æquivocus, præterquam voca-  
bulum venia, quod ambiguitatem quandam parit. Ideoq; illum  
hoc loco multis attingere, supervacaneum foret. *Συvωv*: Dicitur

D

citur



citur & vulgò Peccatum non regnans, Involuntarium, non peccans. Iohan. Tyz in lex. Theol. sub lit. P. pag. 672. seqq. D. Chemnit. part. 1. L. L. C. C. pag. 253. Flac. in clav. part. 1. lex. fol. 855.

Peccatum in Spiritum Sanctum dicitur non respectu Essentiæ, & personæ ejusdem, quasi Spiritus Sanctus offendi à quopiam possit, quin simul in Patrem & Filium non peccatur, sed κατ' ἐξοχῆν. (1.) ratione ministerij Spiritus S. 2. Cor. 3, 8, quod est Evangelium. (2.) ratione proprij officij, & operationis Spiritus Sancti, nimirum illuminationis; hujus enim proprius est in cordibus hominum effector. (3.) ratione testimonij, quod Spiritus Sanctus dat Spiritui nostro Rom. 8, 16. quibus isti qui peccatum hoc committunt scienter, volenter & pertinaciter resistunt. Συνοχῶν: Aliàs dicitur peccatum ad mortem 1. Ioh 5, 16. Item irremissibile Matth. 12, 32. Marc. 3, 30, 31. Luc. 12, 10. Causas cur dicitur peccatum in Spiritum Sanctum irremissibile vide in L. L. C. C. D. Hutt. cap. 2. loc. 5. pag. 369 seqq.

## THEOREMA IX.

3. In statu restorationis: ut, Sacramenta Circumcisio, Baptismus Lex, Evangelium, Fides, Pœnitentia, Bona Opera, Ecclesia, Cœna Domini, Precatio.

Ἐξήγησις.

Sacramentum sic dictum vel à sacro, vel à sacrando, vel à secretis virtutibus, vel sacris, quia sub tegumento corporalium rerum virtus divina secretiùs salutem operatur, Isidorus lib. 6. Etymol. cap. 19. Unde Augustino sacræ rei signum est lib. 10. c. d. c. 5. Ομων: Accipitur autè vel Politicè, pro solemnijuramento sive obligatione interveniente juramento sancita: Vel Theologicè, & (1.) quidè generaliter, pro quavis re arcanâ & secretâ seu ministerio. Sic gentiù vocatio Eph. 3, 3. Christi & Ecclesiæ cōjunctio Eph. 2, 32. Incarnatio Christi, 1. Tim. 3, 16. Redemptio nostra Col. 1, 26. AntiChristi operatio 2. Thess. 2, 7. dicuntur misteriù, quod verus Interpres Sacramētū reddidit. (2.) Specialiter, pro signo Externo rerum divinarum & sacrarū, sic granum sinapi, semen, gemma &c. sunt Sacramenta regni cœlorum, Matth. 13, 23, 31, 46. (3.) Specialissimè, pro signo gratiæ, sive Ceremonia divinitus instituta ad applicandam & obfignandam promissionem Evangelij: Cæterum Terminus Sacramenti in Specia-



specialissima hæc & propria figuratone accipitur (1.) vel pro  
toto Sacramento, hoc est, pro re terrenâ & cœlesti, sive pro signo  
vel signato simul. (2.) vel pro re verbo signata, vel (3.) pro parte  
Sacramenti alterâ, nimirum pro signo sive symbolo, re terrenâ, e-  
lemento visibili. Quo sensu frequenter Augustinus accipit, *Alst.*  
*c. 12. lex. p. 297. seqq. Flac. in clav. part. 1. lex. p. 1060. Ioh. Tyz. in lex.*  
*Theol. sub lit. S. p. 798. a seqq. Συων:* Aliàs *μυστήριον*, & signa ve-  
teribus nuncupantur Sacramenta.

*Circumcisio* quasi dicas *Circumscisio* à verbo *scindo*. *Ομων*:  
Notat (1.) Proprie illam abscissionem præputij ad hoc divinitus *Gen.*  
*17.* instituta, ut esset signum fœderis inter Deum & populum Ira-  
eliticum. (2.) Significat Synechdochicè, totam illam ceromo-  
niariam aut etiam legalem observationem *Actor. 15, 1. Rom. 4, 12.* (3.)  
Metaphoricè Spiritualem cordis circumcisioem & renovationem *Deut.*  
*10, & 30. Rom. 2, 26. Coloss. 2, 11.* (4.) Metonymicè, ipsum popu-  
lam circumcisum, ut *Rom. 15, 8.* (5.) Significat verè pios, ac spiritua-  
liter corde circumcisos, *Phil. 3, 3. Flac. in clav. part. 1. lex. p. 127. Συων:*  
Aliàs *περιτομή* *Rom. 2, 26. & c. 4, 12.* Hebræis *מילה* *Exod. 4, 26,*  
Rabbinis *מילה* vocitatur.

*Baptismus* à Græco verbo *βαπτίζω*. *Ομων*: Quod signifi-  
cat (1.) in genere quamvis lotionem, sive fiat per immersionem in  
aquam sive asperionem vel effusionem aquæ, quo sensu accipi-  
tur, *Act. 1, 5. & cap. 2, v. 16, 17.* (2.) Metaphoricè pro largis Spiritus S.  
donis, quo sensu Christus dicitur baptizare Spiritu S. & igne *Matt.*  
*3, 11. Act. 1, 5.* Itemq; pro cruce, afflictione & morte, ut *Matth.*  
*20, 22.* (3.) Synechdochicè pro instructione & doctrina, *Actor. 18, 25.*  
(4.) Specialiter denotat immersionem in aquam sive affusionem vel a-  
sperionem aquæ. *Συων:* Equipollent cum Baptismo, Sacra-  
mentum N. T. Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus  
S. *Tit. 3, 5.* Plura vide *in clav. Flac. d. 1. p. 66.*

*Lex* dicitur vel (1.) à conjugato effectu, à *ligando*, quod  
obliget omnes, quibus lata est, vel ad obedientiam vel ad pœ-  
nam, vel (2.) ab adjuncto judicandi modo, à *legando*, quod publi-  
cè leges legi consueverint, vel (3.) à subjectâ materiâ ab *eligendo*,  
quod tradat eligendorû fugiendorumvè normam. *Ομων*: Varijs  
autè significandi modis accipitur. (1.) Generalissimè, pro totâ Scripturâ  
*Sacrâ* sive doctrinâ divinitus patefactâ, ut *Psal. 119.* Causam addit



Blacius d. l. p. 536. quia vox Hebræa  $\mu\lambda\eta$  generale prorsus nomen est, ac planè idem, quod doctrina significat. Quo sensu & Evangelium dicitur Lex *Esai. 2, 3. Ier. 31, 33.* (2.) *Generaliter pro toto Veteri Testamento*, ut *Rom. 3, 39. Ioh. 10, 34. Ioh. 15, 25. 1. Cor. 14, 21.* (3.) *Specialiter, pro libris duntaxat Mosis*, ut *Rom. 3, 21.* (4.) *Specialius, vel pro legibus Ceremonialibus*, ut *Luc. 2, 22.* vel pro legibus Iudicialibus, ut *Ioh. 19, 7.* vel pro politica Mosaica *Hebr. 10, 1.* (5.) *Specialissime, pro lege morali sive doctrina Decalogi*, ut *Rom. 3, 20.*  $\Sigma\upsilon\nu\omega\nu\mu\alpha$  sunt: Lex mandatorum in decretis sita *Ephes. 2, 15.* Lex mandati carnalis *Hebr. 7.* Lex regia & libertatis *Iacob. 2.* Præceptum *Rom. 2. Hebr. 7.* Sermo vivus *Actor. 7, 38.* Sermo per Angelos dictus *Hebr. 2, 2.* Pædagogus *Galat. 3, 24.* Jugum *Actor. 15. &c.*

*Evangelium* à Græco  $\epsilon\upsilon$ , id est benè, &  $\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\omicron\varsigma$  nuncius, quasi dicas *bonum nuncium*: vel à verbo  $\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\lambda\omega$ , quod significat annuncio: Unde  $\epsilon\upsilon\alpha\gamma\gamma\epsilon\lambda\iota\zeta\epsilon\upsilon$  est læta annunciare, quo sensu accipitur *Esai. 52, 7. Luc. 4, 18. & Esai. 61, 1. Luc. 2, 10.*  $\omicron\mu\omega\nu$ : Usurpatur (1.) *Generalissime* pro universâ Doctrinâ divinis literis patefactâ *Matth. 16, 15. Gal. 1, 6.* (2.) *Generaliter pro historia vitæ, doctrinæ ac rerum gestarum Christi*, per Evangelistas & Apostolos descripta, ut cum dico Evangelium Matthæi, Marci, Johannis, &c. (3.) *Specialiter pro περικοπή* alicujus Evangelistæ vel Apostoli libro. Sic Textus dominicales dicuntur Evangelia. (4.) *Specialissime*, pro promissionibus gratiæ, de gratuita reconciliatione, & peccatorum remissione propter Christum Mediatorem nostrum.  $\Sigma\upsilon\nu\omega\nu$ : Aliàs vocatur Evangelium regni *Matth. 4, 23.* Cornu salutis *Luc. 1, 99.* Verbum gratiæ, *Luc. 4, &c.* Vid. *Alst. 8. 11. lex. p. 293 seqq. Flac. d. l. p. 278.*

*Fides* dicta est Stoicis à  $\mu\epsilon\tau\alpha$ , quod id fiat, quod ab aliquo dictum & promissum est: & aliàs *active* aliàs *passive* significat, ut in promittente dare & servare fidem, in credente habere fidem.  $\omicron\mu\omega\nu$ : Multæ autem sunt homonymæ Significationes. (1.) accipitur pro *quavis legitima probatione*, quæ fit de quæstione dubiâ, si ve fiat testibus, si ve argumentis si ve instrumentis. Hoc sensu Plato videtur dixisse;  $\tau\omicron\ \mu\epsilon\tau\omicron\nu\ \sigma\eta\mu\alpha\iota\nu\epsilon\iota\ \tau\omicron\ \iota\sigma\tau\acute{\iota}\nu\ \pi\alpha\nu\tau\acute{\alpha}\ \mu\epsilon\tau\omicron\ \sigma\iota.$  (2.) pro *fideltate & constantiâ dictorum & factorum*, Hinc servi dicuntur fideles item Deus fidelis dicitur quia stat promissis *Tit. 2, 10.* (3.) pro *noticiâ & assensione historica.* Sic Diaboli & impij fidem habent



bent Scripturæ; quâ voce utitur Paulus in disputationibus de Justificatione Rom. 3, 4. & seqq. (4.) pro spe, uti & spes pro fide, quia mutuò se comitantur & individuo nexu coherent hæ virtutes 1. Petr. 1, 5. (5.) pro ipsâ doctrinâ, qua fides comprehensa est, 1. Cor. 13, 13. Phil. 1, 27. (6.) pro timorato (ut Danæus loquitur) assensu, qui scilicet è metu, non a. ex ullo animi pio motu proficiscitur: Sic dicitur fides fuisse in Samaritanis & Ninivitis, dicuntur irq; credidisse Deo, eumq; adorasse. (7.) Significat Assensum, quâ totam Scripturam cum animi delectatione amplectimur. (8.) Assensum magis propriè quo Evangelium & Christum amplectimur. De quo dicitur:

*Si Christum bene scis, satis est, si cætera nescis*

*Si Christum nescis, nihil est, si cætera discis.*

(9.) Professionem Externam fidei Act. 14. Συμω: Alio nomine Latinis Fiducia, Græcis πίστις vocatur. Dn. Præses part. 2. Philos. Sobr. sect. 1. q. 30. p. 253. Flac. in clav. p. 308. Alst. c. 15. p. 387. seqq.

Pœnitentia, quæ vel à pœnitet, vel à pœna, quod quæ nobis pudori sunt, inest quædam pœnæ ratio, vel quod dolor in pœnitentiâ sit quasi pœna: vel à pone tenendo, ut Erasmo placet, quasi pœnitere sit posterius consilium tenere. ὁμων: Et hic Terminus est ambiguus: vel enim accipitur ὀλικῶς καὶ γενικῶς, pro totâ hominis peccatoris ad Deum conversione, & tum inclusam habet fidem, quo sensu accipitur Luc. 13, 5. cap. 15, 7. & 10. Vel μερικῶς & ειδικῶς pro prima pœnitentiæ parte, nimirum contritione, vel seriâ peccatorum agnitione, & tum à fide contradistinguitur, quo sensu & significato venit Marc. 1, 15. Luc. 24, 47. Act. 20, 21. cap. 23, 19. cap. 26, 20. Dn. Præses part. 2. Philosoph. Sobr. cap. 2. sect. 1. q. 8. p. 367. Flac. d. l. p. 905. Alst. in lex. cap. 6. p. 245. Συμω: Aliquando Conversio & pœnitentia sunt συνώνυμα, Græcis tamen vocatur μεταμέλεια & μετάνοια, Rom. 11, 29.

Bona Opera dicuntur ab adjuncta qualitate bona, quo sensu & Metaphoricè dicuntur fructus boni. ὁμων: Considerantur autem vel νομικῶς & secundum legem, quatenus sunt opera in se & quoad actum bona: vel Ευαγγελικῶς sive respectu Evangelico, prout Deo specialiter placent. Συμω: Et idem est ac si dicas Fructus Spiritus, Opera Legis, Fructus Fidei & c.

*Ecclesia, sic dicta à Græco Ἐκκλησία, quod est vocare, unde*



**Ἐκκλησία** quasi *vocatio*. Nominabatur autem Ecclesia olim apud Athenienses cætus sive conventus civium voce præconis & reliquâ turbâ ad audiendam Sententiam Senatus nominatim evocatorum. Unde per similitudinem ab Apostolis ad institutum suum nomen Ecclesiæ translatum. **ὄμιλον**: Variè accipitur vox Ecclesiæ. (1.) *Generalissime pro quovis hominum cætu* Act. 19, 32, 39. (2.) *Specialiter pro cætu hominum visibili religionis causâ conventorum*, sive unius alicujus provinciæ sive universi Christianorum orbis: Ubi interdum etiam *pro parte*, ut 1. pro Senatu Ecclesiastico Matth. 18, 18. 1. Tim. 4, 14. vel 2. pro ipsis auditoribus Act. 5, 11. & Ecclesiâ domesticâ Rom. 16, 5. accipitur. (3.) *Specialissime tantum pro cætu Electorum*, qui per fidem Christo Capiti inferuntur, & per Spiritum Sanctum sanctificantur, illuminantur & glorificantur. **ἐκκλησία**: Hinc vocatur Ecclesia Dei Act. 20, 28. 1. Cor. 10, 32. Ecclesia Christi Rom. 16, 16. Colloss. 1. 24. Sponsa Christi Cant. 1. Itemq; Ecclesia Christiana. *Dn. Præses part 2. Philos. Sobr. c. 1. sect. 1. q. 9. p. 87. seqq. Alst. t. 5. lex. p. 348. seqq. Flac. part. 1. clav. p. 260. Ioh. Iyz in lex. Theol. sub lit. E. pag. 271. Gerhard. Tom. 5. L. L. C. C. p. 576. Hutter. in L. L. C. C. p. 507.*

**Cæna Dominica** sic dicta ab Apostolo 1. Cor. 11, 20. Habet multas nomenclaturas vel appellationes. (1.) *Ex Scripturis*, in quibus dicitur præter hunc terminum 1. *Mensa & calix Domini*, **τραπέζην καὶ ποτήριον κυρίου** 1. Cor. 10, 21. 2. *Communicatio corporis & sanguinis Christi*, **κοινωνία τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου** 1. Cor. 10, 16. 3. *Novum Testamentum* Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 25. 4. *Fractio panis* **κλάσις** τοῦ ἄρτου Act. 2, 42. (2.) *Ex Scriptoribus Ecclesiasticis*, Tum Græcis, ut (1.) **εὐχαριστία**, Justin. Apol. 2. pro Christ. pag. 76. Iren. lib. 4. c. 34. p. 267. (2.) **σύνταξις**, Dionys. in Hierar. Eul. c. 3. Epiphan. contra heres. p. 466. (3.) **ἀγάπη**, Iren. lib. 4. c. 32. (4.) **ἵεσις ἀναίματος**. (5.) **λειτεργία**. (6.) **μυστήριον**, Justin. Apol. 2. pro Christ. Chrysost. Homil. 38. in Matth. Tum Latini (1.) *Sacramentum Altaris*. (2.) *Missa* quam appellationem Augustana Confessio quo ad nomen tantum retinuit, re sive definitione papali rejectâ. Gerhard. Tom. 5. L. L. C. C. p. 3 seqq. Alst. c. 12. lex. pag. 323 seqq.

**Precatio** à verbo *precor*, quod Beaman. in orig. lat. ling. p. 670. derivat ab Hebræo **פָּרַע** id est, precatus est, benedixit ingeniculando fudit preces. Hinc nomen **פָּרַע** quasi latius dicas preca, id est.



id est, preces ; precatio. Ὁμῶν: Sumitur late & strictè. Late  
Synechdochicōs pro toto Dei cultū, Act. 2, 21. 1. Cor. 1, 2. 2. Tim. 2,  
22. Strictè significat cultum, quo verum Deum verâ fide per  
Christum Mediatorem, cum pro impetrandis bonis necessarijs  
invocamus, tum pro acceptis cum glorificatione gratias agimus.  
Συνων: Scriptura tamen allegoricè seu metaphoricè vitulos &  
fructum labiorum, sacrificium laudis, incensum & suffimentum  
Osee 14, 3. Psalm. 116, 17. & 141, 2. Malach. 1, 11. Hebr. 13, 15. Item  
γένειον, αἴτησιν, προσκύνησιν Phil. 4, 6. Marc. 5, 10. & 17. Matt. 26,  
53. appellat &c.

## THEOREMA X.

4. In statu Ecclesiastico ; ut, Ministerium verbi, Po-  
testas Clavium, Papa, Episcopus, Monachus, Clericus.

Ἐξήγησις.

Ministerium verbi, Græcis appellatur διακονία. Ὁμῶν: quæ  
vox est ἐκ τῶν πολλαχῶς λεγομένων. (1.) In genere significat quod-  
vis ministerium, sive servitium alteri exhibitum, ut Luc. 10, 40.  
Hebr. 1, 14. (2.) In specie accipitur de ordine Ecclesiastico Act. 1, 17.  
& 25. cap. 6, 4. cap. 20, 24. Rom. 11, 13. cap. 12, 7. 1. Cor. 12, 5.  
(3.) Specialissimè vox διακονίας accipitur de certâ ac determinatâ qua-  
dam ministerij Ecclesiastici parte, puta de distributione βιωτικῶν ac  
necessariorum inter Sanctos in communionem Act. 6, 1. Act. 11, 29.  
Rom. 15, 31. Συνων: Alio nomine vocatur λειτουργία, ἱεραργία, ἱε-  
ραρχία &c. D. Gerhard Tom. 6. L. L. C. C. p. 7. seqq.

Potestas Clavium. Nihil aliud hoc termino indicatur quam  
Autoritas & Jurisdictio Ecclesiastica: Vocantur a. Claves Me-  
taphoricè, ad significandam ministrorum Verbi, qui sunt Oeco-  
nomi Dei, potestatem intromittendi & ab ingressu domus Ec-  
clesiæ repellendi, pro arbitrio Domini. Aperitur enim credenti  
& pœnitentiam agenti: occluditur non credenti & impœnitenti.  
Ὁμῶν: Significat autem potestas clavium: vel absolutam & ple-  
nariam, qualis est solius Dei, & Oeconomica illa potestas Christi  
Ἰεουδρώπης, id est, in unione considerati: quo pertinet illud  
Matth. 20, data est mihi omnis potestas: vel limitatam, id est  
certi officij, certisq; inclusam legibus. Vid. Alst. in lex. c. 15. p. 385.  
Συνων: Potestas clavium appellatur & claves regni cœlorum  
Matth. 16, 19. Dabo tibi claves regni cœlorum, &c.

Page



*Papa* quoad Etymologiam non omnes conveniunt: Alij  
 censent *Hebraicum* esse nomen; Alij *Latinum*; Alij *Græcum*. Qui  
*Hebraicam* Etymologiam quærunt, à voce *PN* deducunt, quæ si-  
 gnificat Patrem, unde Abbas & German. *Ein Apt.* Sed hæc E-  
 tymologia nimis remota ac valdè coacta. Apud Latinos  
 septem potissimum Etymologiæ reperiuntur. (1.) Quidam ex  
 duorum vocabulorum notis initialibus deducunt, ut idem sit  
 quod *Pater Patriæ*. Has enim voces Romani olim abbreviatè &  
 separatim sic notârunt P A. P A. (2.) Alij derivant à vocabulo  
*Pupa*, puparum, German. *Ein Pupp.* Quia Papa colitur ut Pu-  
 pa. (3.) Alij à *Papillis* dictum esse Papam putant, velut ex cujus  
 papillis lac veræ fidei est sugendum. (4.) Alij à *Pappo*, carduo-  
 rum flore. (5.) Nonnulli à voce *Pater*, sed corruptè pronuncia-  
 tâ, sicut pueri balbutientes pronunciare solent. (6.) Alij ab *in-  
 terjectione Papa*, quæ est admirantis, ut nomine Papæ audito,  
 quivis statim miretur monstri istius fastum luxum, & potestatem.  
 (7.) Deniq; sunt qui à *participando* derivatum iuvunt. Verum  
 cum omnes hæc Etymologiæ non veræ, sed tantum allusivæ sint,  
 suo eas loco relinquimus, & Papam origine Græcum vocabu-  
 lum esse censemus, quo blandientes pueruli parentes suos nomi-  
 nare consueverunt, ut ita Papa idem sit quod Pater. Sic *Phi-  
 lemon Comicus* apud *Athenæum* lib. 8. Χαῖρε παππα Φίλῳτε, salve  
 Pater charissime. Ita ergò constat Papam esse nomen ætatis,  
 honoris & dignitatis. Vid. *Dn. Præses part. 2. Phil. Sobr. cap. 1. sect. 1.*  
*p. 5. p. 52.* Ομῶν: Cæterum putant Romanenses, esse nomen  
 suo tantum Præsuli & Vejovi Romano proprium, à quo & ipsi  
 Papistæ & Papiculæ, sicut à Pontifice Pontificij dicuntur, sed  
 falsum. Est enim & hoc vocabulum πολύσιμον. (1.) enim Pa-  
 pæ titulis olim *Episcopis* veluti Patribus Spiritualibus indiscretè  
 fuit tributus: *Ignatius enim Epist. 1. ad Marian. p. 2. Edit. Paris. in 8.*  
*anno 1558,* Ancletum vocat Papam. (2.) Deinde tributum fuit  
*Patriarchis*, utpote primò Romano, postea Alexandrino, deinde  
 Antiocheno, & tandem Hierosolymitano, quibus additus fuit  
 Constantinopolitanus. (3.) Tandem verò Romanus Episco-  
 pus fastu & ambitione inflatus, reliquis excepto Patriarchâ vel  
 Papâ Constantinopolitano abditis primatum sibi rapuit. Συμῶν:  
 Hinc jam vocatur fastuosè Summus Pontifex, Caput Ecclesiæ,  
 Summus Monarcha &c. *Dn. Præses d. l.*

Episcopus



Episcopus derivatur ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς, quod est diligenter inspicere. Nam σκοπεῖν inspectionem & considerationem simplicem notat: Præpositio autem ἐπιτατική, hoc est, intendit significationem. Ὁμών: Tribuitur autem hæc appellatio Episcopi. (1.) Ἐξοχικῶς & κατ' ἐξαιρέτην λόγον ipsi Christo, qui est ποιμὴν καὶ ἐπισκοπὸς τῶν ψυχῶν ὑμῶν, 1. Petr. 2, 25. Ἰσραήλ Ἰσραήλ Ἰσραήλ Custos Israël Psal. 121, 4. (2.) In genere quibusvis Ecclesiæ ministris, quorum omnino munus est ἐπισκοπεῖν prospicere gregi fidei suæ commissæ, & diligentem ejus curam habere, Act. 20, 28. Tit. 1, 5. & 7, 5. Petr. 1, 2. (3.) In specie illis Ecclesiæ ministris, quibus non solum gregis commissæ cura, sed etiam Pastorum inspectio demandata est, quibus & docendi Ecclesiam & in doctrinam, vitam & mores Pastorum inquirendi munus commissum est, quo nomine etiam à Diaconis discernuntur, Phil. 1, 1. 1. Tim. 3, 2. & 8. Vid. Isidor. l. 7. Etym. c. 12. Dn. D. Gerhard. in L. L. C. C. Tom. 6. p. 39. Dn. Præses in Phil. Sobr. part. 2. c. 2. sect. 1. q. 11. p. 319. Συνοῦν: Alias appellatur Antistes, Primas, Superintendens &c.

Monachus. Ut multa Monachorum sunt examina, sic multæ nomini ipsorum Etymologiæ. Quidam putant Monachos vocari inde, quod rebus divisibilibus relictis, Monadi, hoc est, Deitati soli placere studerent. Quidam (in quorum numero est Augustinus) deducere videntur ab unitate, verum non divinæ essentia, sed Monachalis vitæ & concordia: sed nimis remotè Canonista in Iure Canon. caus. 16 q. 1. c. Placuit, Monachum ἀμόνος & ἀχος, quasi unus tristis. Alij ἀμόνος Solus & εὐχήν precativus. Alij ἀμόνος, quod est unus & Icos Custos, quod unius animæ custos sit. Ineptè. Bellarm. l. 2 de membr. Eccles. milit. c. 1. Monachos dictos censuit, quod à matrimonijs abstinerent, & à parentum mundiq; conservatione secederent, quò soli Deo per contemplationem, inservire possent. Impropiè. Propriissima & verissima Monachi Etymologia est nostratum, quippè quæ moribus illorum egregiè respondet: dum derivatur ἀπὸ τῆς μόνου hoc est, à solo, adeoq; secundum tertiam impositionem & propriissimè significat hominem solitarium, qui solus vivit, vitæq; solitariae genus eligit. Quam derivationem Ioh. Tyz in lex. sub lit. M. p. 566. & Iodoc. Lorich. in Thesaur. Theol. fol. 1647. b. pro verâ agnoscunt. Dn. Præses part. 2. Phil. Sobr. c. 2. sect. 1. q. 12. p. 324. seqq.

E

Ὁμών:



Ὀμῶν: Ex secundâ verò & tertiâ Monachi derivatione etiam quilibet homo eo modo potest esse Monachus, non tantum calvi illi Monasini. Συων: Appellantur & à Iodoco Lorico d. l. Religiosi, Regulares, &c.

Clericus, vocabulum origine Græcum, descendens à κληρικός, quod idem significat, quod fors, ideoq; patres solos ministros appellârunt clericos, nempe propter electionem in Ecclesia. tunc temporis usitatam, quæ sorte peragi consuevit. Sicut enim Laici propriè sunt populares, sic clerici erant sortè vel sortione selecti ex popularibus, qui sortiebantur, vel adipiscebantur τὸν κληρὸν διακονίας, sortem ministerij, ut loquuntur Apostoli Act. 1, 17. D. Gerhard. in L. L. C. C. Tom. 6. pag. 54. Dn. Praeses part. 2. Phil. Sobr. cap. 2. sect. 1. q. 10. pag. 310. seqq. Ὀμῶν: Verùm juxtâ Scripturæ sensum omnes verè credentes ac pij dicuntur Clerici, quia scilicet pertinent ad illum κληρὸν hæreditatem vitæ æternæ. Συων: Ex derivatione Clerici generaliter sorte Electus vocari potest.

## THEOREMA XI.

§. In statu Politico: ut, *Magistratus, Subditus, Contractus, Usura.*

Ἐξήγησις.

*Magistratus* dicitur à *Magistro*, *Magister* à *magis*, sicut *minister* à *minus*: nam *magisteria* dicuntur in omnibus rebus, quæ *magis* cæteris præfunt, unde *Burgimagister*, & *magistrare*, apud *Festum*, pro *regere* & *moderari* sumptum. Idem ergo est *magistratus*, quam *moderator Sapiens*. *Gerhard. Tom. 6. L. L. C. C. pag. 630. Becman. in orig. lat. ling. p. 464.* Ὀμῶν: Sumitur autem tum *concretè* pro eo qui dignitate pollet *Esd. 9. 2. Nehem. 2, 16.* tum *abstractè* pro ipsamet dignitate *Maccab. 8, 16.* Συων: Hebræis vocantur *Magistratus politici* מַגִּיִּרֵי דֹמִינִי *Gen. 45, 8.* מַגִּיִּרֵי illustres, magnifici, sublimes *Iud. 5, 25.* מַגִּיִּרֵי מַגְנָתִים magnates *Esth. 3, 12. c. 8, 9.* מַגִּיִּרֵי fortes *Iob. 14 16.* &c. Græcis βασιλεῖς *Reges*, ἡγεμονίαι *fulcra seu fundamenta populi*, ἀρχόντες καὶ ἀρχηγοὶ *Principes*, μεγαθύμοι *magnates*, δυνασταὶ δυναστεύοντες *potentes*, ἡγούμενοι καὶ ἡγεμόνες *düces*, τοπαρχαὶ *præfecti* &c. Apud Romanos, *Patres Conscripti, Senatores*, quia *senili prudentiâ* reliquis antecellere debeant. Plura vide *Hebræa & Græca nomina in L. L. C. C. Gerhard. d. l.*

*Subditus*



*Subditus* appellatur ille qui alicujus superioris Jurisdictioni ad obediendum subiectus est. *ὄμων*: Fiunt autem subditi duplicimodo (1.) *Origine sive natiuitate*, quod probatur ex l. *assumptio* 6. §. 1. ff. *ad Municip.* (2.) *Domicilio sive habitatione*. De quibus consule J. C. Tos. *Συμβασις*: Subditus alio nomine vocatur subiectus quod alterius potestati & Jurisdictioni sit subiectus, uti dictum, *Contractus*, Quoad Etymon terminus notissimus. J. C. tis sunt duorum generum. (1.) *Nominati*, ut Emptio, venditio locatio, conductio &c. (2.) *Innominati*, Do ut des, do ut facies, &c. *Συμβασις*: Philosophi vocant *συνάλλαγμα* à commutatione, cum certâ compensatione ab alio potes accipere quæ tu indiges: *Luc. 19, 18. 1. Thess. 4, 6.* vocatur *πράγμα* i. e. negotiatio. Hebræi verò habent tres appellationes, quæ à circumeundo & deferendo Etymologiam habent veluti *חֶמֶן* & *חֶמֶן* *Chemnit. part. 2. L. L. C. C. cap. 5. p. 166. seqq.*

*Usuram* deniq: Latini vocant inde, quia propter *usum* erit alicui sorti aliquid accedit. *ὄμων*: Verùm consuetudine forensi accipitur nomen *usuræ*, pro *usus pretio*, sive pro mercede *usuræ*. Unde hoc sensu à J. C. tis definitur *Usura*, quod sit *ad sortem sive quantitatem legitime debita accessio*. Sed in hac significatione vocabulum *usuræ* interdum *late*, interdum *stricte* accipitur. *Late* pro *omni augmento sortis* in quantitate consistentis, ex quacunq; causâ etiam alia, quam ex mutuo datæ pecuniæ. *Stricte* verò accipitur *pro eo*, quod accedit *ultra sortem in mutuo*, idq; *dupliciter*: vel *proprie* pro eo, quod tantum, propter mutationis officium sine alia justâ causâ excogitur: vel *imprope* pro eo, quod in mutuo ultra sortem accipitur non propter mutationis officium, sed propter aliam justam causam. *Συμβασις*: Hebræis dicitur (1.) *נִשְׁבָּה* hoc est, morsus propterea quod instar serpentis mutuam mordet, ejusq; facultates omnes exhauriat. Et hac similitudine avaritia describitur, *Mich. 3, 3.* (2.) *נִשְׁבָּה* Significans gravamen seu onus imponere irruere in aliquem *מִרְבִּית* seu *הַרְבִּית* significat autem multiplicationem quantitatis, ut quando in mutuo plus exigitur, quam datur & expenditur. Græcis dicitur *τόκος*, hoc est, *partus*: Cui respondere videtur Latinum *Fœnus*, quasi *fætus*, quod fœnus tanquã soboles nascatur ex sorte, vel modo legitimo vel illegitimo, quemadmodum liberi alij sunt legitimi alij spurij. *Chemnit. part. 2. L. L. C. C. p. 169. Hutter. in L. L. C. C. p. 1046. seqq.*



## THEOREMA XII.

6. In statu Oeconomico: ut, *Conjugium, Nuptia, Sponsalia, Calibatus, Virginitas.*

Ἐξήγησις,

*Conjugium* à *jugo* dictum, quia maritus & uxor communi quodam *jugo* inter se copulantur: Conjuges sunt q. ejusdem *jugi* partes, inquit *S. Festus lib. 9. orig.* Quidam simpliciter à conjunctione derivant. Sed prior *Etymologia* præferenda, dicitur enim *conjugium*, non *Conjungium*, quamvis veteres indifferenter scripserunt *Conjux* & *Conjux*, uti *Priscianus* meminisse. Ὀμῶν: Significat autem vel (1.) *Conjugium ipsum* *Hebr. 13, 4.* unde γαμῆσθαι, uxorem ducere, ἀγαμος, qui non duxit uxorem. (2.) *Convivium Nuptiale*, Solennitatem & festivitatem, quæ institui consuevit, quando *Sponsa* ad *sponsum* introducitur, quomodo accipitur *Gen. 29, 22. Esth. 2, 18. Tob. 8, 14. Iob. 2, 1.* Συών: *Hebræis* *Conjugium* dicitur נשואין desponsatio, affinitas *Cant. 3, 11.* à *Rad.* נשוא desponsare, conjugio jungi, affinitatem contrahere, ut *Gen. 34, 9.* נשואינן connubia nobiscum jungite &c. *D. Gerb. in L. L. C. C. Tom. 7. pag. 11. 12.*

*Nuptia* *Græcis* γάμος, quod vocabulum *Phavorino* teste, à quibusdam deducitur ex verbo γενᾶν, quia usus conjugij liberorum generationem respicit, quæ *Etymologia* est nimis remota. Ipse vero dici putat γάμος quasi δάμος παρὰ τὸ δαμῶν ἢ δαμάζω, ὅδαν ἢ τὰς παρθένας ὄμηρος ἀδαμάσθαι λέγει. *Eustathius* γάμων deducit παρὰ τὸ δεθμῆσθαι ἀλλήλοις τὰς συζύγους, quod sint indissolubili vinculo invicem devincti, qui matrimonium contrahunt, unde *Græci* γάμον definiunt hoc modo; quod sit συζυγία ἢ συνοίκησις ἀνδρός καὶ γυναικὸς νομίμως πρὸς τὴν παιδοποιίαν. Ὀμῶν: Quatuor autem hoc vocabulo in *Scripturis* significantur. (1.) *Nuptia Corporales* inter maritum & uxorem, *Gen. 2, 24.* (2.) *Sacramentales* inter *Christum* & *Ecclesiam*, quæ sæpius appellatur *Christi sponsa* *2. Cor. 11, 2. Eph. 5, 32.* (3.) *Spirituales* inter *Deum* & animam fidelem *1. Cor. 6, 17.* (4.) *Personales* inter λόγον & assumptam humanam naturam, quo referunt illud *Cantic. 3, 11.* ut & *Parabolam* *Matt. 22, 2.* Συώνυμα ex modò dictis sunt nota.

*Sponsalia* *Verreri* *Flaccus*, ut est apud *Pompeium Festum*, inde dicta existimat, quod *Sponsus* & *Sponsa* olim σπονδάς inter



interpositis rebus divinis facerent. Quidam deducunt à sponte, quod tales stipulationes futuri conjugij debeant esse spontaneæ; sed rectius dicta censentur à spondendo, quia non Parentes solum, & qui eorum loco sunt, filium & familiam familiâs despondent, sed sponsus etiam futuram conjugem sibi stipulatur & spondet. *ὄμιον*: Sponsaliorum autem nomen in jure civili varijs modis accipitur. Dicuntur enim Sponsalia (1.) *arrha sponsalitiæ*, quæ à sponso dantur sponsæ, l. 1. C. si nupt. ex rescript. pet. (2.) *Donatio* propter l. 2. C. de secund. nupt. (3.) *Munera Sponsalitia* l. 3. C. de donat. ant. nupt. vel propter nupt. & spons. ubi Cuiac. in par. (4.) *Convivia Sponsalibus adhibita* Cic. l. 2. Epist. (5.) *Proprie* & huic loco convenienter Sponsalia solennem futurarum nuptiarum sponsonem notant & definiuntur, quod sint *mentio* & *repromissio futurarum nuptiarum* l. 1. ff. de Sponsal. & *Nostrates* q. 5. *Συων*: Appellantur in sacris *נִשְׂבָּעִים* Jer. 2, 2.

*Cælibatus* Etymologia magis est allusiva quam vera & propria. Hieronymus enim putat, eos qui in cœlibatu vivunt, *cæle* maximè dignos esse. Alij cœlibes quasi cœlites denominârunt. *ὄμιον*: Nomen cœlibis accipitur (1.) *latè* pro eo, qui extramatrimonium vivit, sive castè vivat, sive concubinas alat, ut ex *Martiali* notum, sive sit nuptiarum penitus expertus ac virgo, sive sit viduus sive vidua. (2.) *Strictè* pro eo qui extrâ matrimonium castè vivit, quiq; nullas adhuc expertus est nuptias. Huic termino plures non æquipollere videntur.

### THEOREMA XIII.

7. In statu Novissimo: *ut, Mors, Resurrectio, Extremum Judicium, infernus, Vita æterna.*

*Ἐξήγησις.*

*Mors* propriè dicta dicitur à Græco *μόρος ἀπὸ τῆς μείρεν ἀδι-videndo*. *Mors* enim est animæ & corporis separatio. Alij à *mora* dictam putant mortem, quia omnes moratur & expectat,

---- & *tacito clam venit ille pede*

Vel quia nullius conditionem moratur,

Nam:

---- *mors sceptrâ ligonibus æquat.*

Alij à *mordendo* deducunt. *ὄμιον*: In Scripturis quatuor notat. (1.) *miserias* & *arumnas*, quibus quotidie morimur, & ad mor-



tem preparatur. (2.) Mortem gratia vel iram Dei. (3.) Mortem  
nature vel Corporalem. (4.) Mortem gloria vel sempiternam. Vid.  
Dn. Præsid. Comment. in Hoseam part. 1. cap. 13. pag. 1072. & D. Ger-  
hard. Tom. 8. L. L. C. C. pag. 22. Συων: Appellatur  $\text{חַיָּוֹן}$   $\text{חַיָּוֹן}$   
Psal. 34, 22. Psal. 49, 15. Ezech. 18, 20. cap. 18, 8. Joh. 6. 50. Rom.  
1, 32. cap. 6, 23. Jac. 5, 20. Apoc. 2, 11. cap. 10, 14. Item ὄλεθρος in-  
teritus Matt. 10, 28. 1. Thess. 5, 3. 2. Thess. 1, 9. 1. Tim. 6, 9. Vide  
& D. Gerh. Tom. 9. L. L. C. C. pag. 583.

Resurrectio ex eo dicta est, quod sit reiterata quædam *status*,  
sicut & Græcis ἡ ἀνάστασις dicitur, q. δευτέρα ἢ πεπρωμένος πάσις,  
secunda ejus quod cecidit status, παρὰ τὸ ἀνα quod in composi-  
tione significat re & rursus, & ἵσταμαι, ut sic ἀναστῆναι sit & ite-  
rum surgere, post mortis scilicet casum, & sursum surgere ex  
pulvere scilicet terræ erectum Job. 19, 25. Ὁμων: Accipitur vel  
proprie vel figurate. Propria significatio est vel Generalis vel Specia-  
lis. Generaliter resurgere dicitur, qui prius vel casu cecidit, vel  
spontè accubuit aut consedit Psal. 139, 2. Specialiter sumitur pro  
corporum ex mortuis resuscitatione & vitæ restitutione. Figu-  
rata est vel Metaphorica vel Metonymica. De quibus videatur Buc-  
mus in loc. C. de resur. p. 412. Συώνυμα: Resurrectionis sunt, quod  
vocatur ab Hebr:  $\text{תְּקוּם מֵתֵי הַבְּשָׂר}$  Resurrectio carnis  $\text{חַיָּוֹן}$   
 $\text{חַיָּוֹן}$  vivificatio mortuorum. Plura vide in L. L. C. C. D. Gerhard.  
Tom. 8. pag. 967.

Extremum Iudicium. Iudicium dictum censet à dicendo jure,  
quia Judicis partes sunt secundum legis & juris præscriptum di-  
cere sententiam. Extremum Iudicium vocatur respectu piorum ac  
particularium istorum iudiciorum, quæ in hac vita & in morte  
hominis Deus exercet. Ὁμων: Cæterum Hebræum  $\text{שֹׁפֵט}$  ac  $\text{שֹׁפֵט}$   
 $\text{שֹׁפֵט}$  iudicare est  $\text{שֹׁפֵט}$  ac  $\text{שֹׁפֵט}$  iudicium varijs modis in  
Scripturis accipiuntur. Tribuuntur autem iudicandi partes (1.)  
Deo Creatori  $\text{אֱלֹהֵינוּ}$  ac summo hominum iudici, qui hoc  
nomine  $\text{אֱלֹהֵינוּ}$  vocatur. (2.) Creaturis rationalibus ad iudicandi  
subsella divino tamen tribunali inferiora evectis. Quando  
Deo assignatur iudicium, accipitur (1.) γενικῶς, pro totius u-  
niversi gubernatione & administratione Job. 5, 22. cap. 3, 25. cap. 17, 2.  
(2.) ειδικῶς pro Ecclesiæ collectione & gubernatione, in qua  
Deus Pater per Filium manifestat Evangelium, instituit & con-  
servat ministerium verbi, confert Spiritum Sanctum, vivificat  
spiritu-



Spiritualiter mortuos &c. *Esai* 42, 1. *Matt.* 12, 18. (3.) διδακτικῶς  
 pro divinis mandatis ac præceptis, quæ passim vocantur judicia  
 Domini *Psal.* 19, 9. *Psal* 119, 13. &c. (4.) δικαστικῶς pro causæ co-  
 gnitione, contentione, præmiorum ac pœnarum distributione,  
 & justa in delinquentes animadversione, *Ier.* 25, 31. *Ioh.* 5, 30. *1.*  
*Petr.* 4, 17. Σουῶν: Absolutè & simpliciter sumtū vocatur **וְיָשׁוּב**  
 iudicium κατ' ἐξοχήν καὶ ἐξαιρητικῶς, quia est universale, finale  
 & consummatum illud iudicium, quod in fine seculi Deus exer-  
 cebit, *Psal.* 8, 9, *Eccles.* 12, 14. Vocatur & dies novissimus ἡμέρα  
 κείσεως Dies iudicij *Matth.* 20, 15. cap. 12, 35. dies ἀπλυτέσεως  
 perfectæ redemptionis *Eph.* 4, 30. tempus ἀναψύξεως, refrigerij  
*Act.* 3, 19. & ἀποκαταστάσεως πάντων restitutionis omnium *vei.* 20.  
 item δικαιοκρισίας iusti iudicij &c. Quæ omnia eruditè exponit  
 D. Gerhard. d. l. pag. 10 seqq.

*Infernus* pl. *Inferna*, quo nomine pro inferis vulgò utimur,  
 in ea significatione non est satis latinum, sed meliori voce desti-  
 tuti cogimur eo uti. *Όμων*: Vocabulum Hebraicum **הַיָּנֵשׁ** quod  
 Infernum notat, quinq; potissimū modis in scripturis accipitur,  
 (1.) pro Inferno seu πῦρ damnatorum, in quo scilicet damnati tor-  
 quentur (2.) Pro doloribus Inferni, qui in hac vitâ quandoq; ho-  
 minem comprehendunt. (3.) Pro Extremo humilitatis gradu. (4.)  
 Pro morte & transitu hominum ex hac vitâ, sive status mutatione &  
 conditione mortuorum in genere. (5.) Pro Sepulchro. Συνώνυμα  
 Inferni sunt complura. Hebræis præter **הַיָּנֵשׁ** vocatur etiam  
**הַיָּרֵחַ** perditio *Iob.* 26, 6. Græcis αἰδης, vel αἰδης, **τάρταρος** &  
*Petr.* 2, 4. Latinis, *avernus*, *orcus*, *harathrum* &c. *Vid. Ioh. Tyz in*  
*lex. Theol. sub lit. I. p. 430, b. D. Gerh. d. l. p. 504. seqq. usq; ad p. 522.*

*Vita æterna*. Secundum Etymon vocatur (1.) *Vita*, ut distin-  
 guatur ab infelicissimo & miserrimo damnatorum statu, qui  
 mortis nomine exprimitur. (2.) *Æterna ac permanens vita* dici-  
 tur, ut à præsentē, quæ temporalis est fugiens, & momentanea  
 distinguatur, *1. Tim.* 4, 8. *Όμων*: Accipitur dupliciter (1.) *Proprie*  
 pro felicissimo piorū statu ac beatissimâ ipsorū sorte, in qua post  
 hujus vitæ decursum constituti, eadem fruuntur in æternum.  
*Ioh.* 3, 16, & 36. *Tit.* 3, 7. &c. (2.) *Metonymicè*, idq; dupliciter (1.)  
 pro ipso Christo vitæ æternæ autore ac datore *1. Ioh.* 1, 2. cap. 5, 20. (2.)  
 pro via vitæ æternæ, id est, pro ratione ac modo ad cœlestem glo-  
 riam perveniendi *Ioh.* 12, 50. cap. 17, 3. *Συνώνυμα*: Epitheta & En-  
 comia



comia vitæ æternæ occurrunt complura. Appellatur Paradysus  
*Luc. 23, 43. 2. Cor. 12, 4. Apoc. 2. v. 7. Manus Dei Sap. 3, 1. Sinus A-*  
*brahæ, Luc. 16, 12. Domus Patris cœlestis, Psal. 84, 5. Ioh. 14, 2.*  
*Regnum cœlorum, Matt. 5, 20. cap. 7, 21. cap. 8, 11. Ioh. 3, 5. Regnū*  
*Dei Matth. 6, 33. Marc. 10, 23. Act. 14, 22. Regnum patris Matth. 13,*  
*43. cap. 26, 29. Regnum Christi, Luc. 23, 45. Apoc. 1, 9. Hæreditas.*  
*Act. 20, 32. &c.*

#### THEOREMA XIV.

Ἄγγελος φησὶ : ut, *Angelus, Diabolus, &c.*

Ἐξηγήσεις.

*Angelus* Appellatio Græca est. Nam ut ait *Iustin. in Martyr. in*  
*disp. contra Tryph. Ἄγγελος λέγεται διὰ τὸ ἀγγέλλειν τοῖς ἀνθρώποις*  
*ὅσα περ βέλεται αὐτοῖς ἀγγεῖλοι ὁ τῶν ὄλων ποιητὴν.* Est ergo Ange-  
*lus nomen officij, quod nuncium significat, quippe quod illi sint*  
*Spiritus λειτουργικῶς, ministrantes vel ministratorij, qui ministerij*  
*causa mittuntur à Deo, sive nunciandis sive efficiēdis ejus man-*  
*datis. Ὁμών: (1.) καὶ ἐξοχήν tribuitur etiam Filio Dei, qui Ange-*  
*lus Jehovæ appellatur Exod. 14, 19. Angelus Testamenti Malach. 3, 2.*  
*(2.) Metaphoricè tribuitur Ministris Ecclesie Mal. 2, 7. (3.) Propriè*  
*Spiritus à Deo creati ministratorijs Psal. 104, 4. Hebr. 1, 14. Συμῶν:*  
*Vocantur (1.) astra matutina Ioh. 38, 7 quia naturæ sunt purissi-*  
*mæ & lucidissimæ. (2.) Filij Dei Ioh. 1, 16. tum ratione creatio-*  
*nis, tum ratione adoptionis. (3.) Potestas, imperia throni, prin-*  
*cipatus, dominationes ab adjuncta potentia Eph. 3, 10. Rom. 8, 38.*  
*Colos. 1, 16. (4.) Flamma, ignis ab effectu & quidem metapho-*  
*ricè, Hebr. 1, 7, &c.*

*Diabolus* itidem Græca vox est, derivatur enim à διαβάλλω,  
quod est, crimino. Hic nomen διάβολος calumniator. Ὁμών:  
vocabulum hoc sumitur (1.) pro calumniatoribus in genere, qui  
quemvis hominem pessimis convicijs proscindunt. (2.) pro au-  
tore omnium convitiatorum Diabolo ipso. Συμῶν: Hinc tam pessima no-  
mina in Scripturâ ipsi data sunt, ut (1.) Serpens Gen. 3. (2.) Va-  
stator Deut. 32, 7. (3.) Hirsutus pilosus. (4.) Satan. Apoc. 12, 9.  
(5.) ἐχθρὸς 1. Reg. 5. (6.) Spiritus mendacij, 1. Reg. 22. &c. Vide  
*Alst. in lex. Theol. cap. 4. pag. 171. seqq.* Et hæc de terminis præ-  
cipuis Theologicis dicta sufficiant.

DEUS SIT BENEDICTUS  
IN SECULA.



fus  
A-  
2.  
gnū  
13.  
tas.  
  
7. in  
pōis  
ge-  
fint  
erij  
an-  
ge-  
3,2.  
prie  
wv:  
illi-  
tio-  
rin-  
38.  
ho-  
  
λw,  
wv:  
qui  
all-  
no-  
Va-  
9.  
vide

05 A 2471

ULB Halle 3  
004 545 419  



VD17











VII  
7

PRÆCOGNITORUM THEO-  
LOGICORUM  
DISPUTATIO VII.

DE PRÆCIPUIS  
TERMINIS THEO-  
LOGICIS,

Quam

*Annuate Altissimo*

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

*Ad usum placidam*

*In Minori Auditorio habendam*

Proponit

M. BALTHASAR BALDUINUS  
Dresdensis Misnicus.

*Ad Diem 1. Junij, Horis pomeridianis.*

---

Witteberga, Typis Johannis Gormanni,  
Anno M. DC. XXV.